Complicest

1114. MS. in Latin, on paper: written in 1734 by J. van B. de Wind: $10\frac{1}{4} \times 7\frac{7}{8}$ in., vi + 198 pages.

'Viri eruditissimi clarissimi Hermanni Boerhaave Lectio publica de Lue Venerea. Habita in Academia Lugduno Batava, annis ... 1730 & 1731. Summa cura et labore fideliter ex variis manuscriptis collecta: scripsit Lugduni Batavorum Joannes van Beekhoven de Wind. Medioburgo Zeelandus, 1734.' With 'Index capitum' (pp. 191–2), and an engraved emblematical border to title-page with imprint 'Lugd. Bat. apud Gerardum Potvliet'. Pp. i–iv, vi, and 193–end are blank.

Bt. at auction from Burgersdijk and Niermans, Leyden, April, 1914.

Johan de Wind, of a distinguished medical family, was a Remonstrant preacher as well as a practising physician.



Viri Eruditissimi
Clarissimi
Hermanni Boerhaave
Lectio Publica
de
Lue Venerea.
Habita
In Academia Lugduno Batava,
Annis Post Christum Natum
1730 & 1731.

Summa Cura et Labore fideliter
ex Variis manuscriptis collecta:
Scripsit Lugduni Batavorum
Joannes van Beekhoven de Wind.
Mediobürgo Zeelandus. 1734

De Lue Venerea

Caput primum.

De Origine Luis Venereae.

Lues Venerea est morbus penitus singularis et forte nulli alteri morbo communis ingenii: est morbus, seu nimium creberrimus: est pyra mortis, ipsa morte longe magis horribilis et timenda:

Agite ergo, experiamur, quid boni, adversus hanc, ars afferat; absit tamen, ut immunitatis spe, nascatur, nimis libidinosae juventuti, peccandi illecebra.

Saepius mihi hac de lue cogitanti, in mentem venit notabilis sane historia, quam mihi narravit olim, doctissimus nobilissimi cujusdam Brittanni Juvenis quondam praefectus, cum quo Brittanno Juvene florentissimo, instar Mentoris cum suo Telemacho plurimas Europae regiones peragraverat, ut eum populorum mores virtutesque doceret, vitia dehortaretur; accidit forte, ut in Italiam cum venissent, convenirent principem quendam provectioris aetatis, qui cum patre hujus Brittanni olim summam habuerat familiaritatem: post honorum officia insinuavit hunc Juvenem in ejus amicitiam, et rogatus à principe Juvenis, quo tenderet, respondit, Venetias, se Bacchanalia celebrandi gratia iter facere, quo audito lachrymas profudit senex, et, ut ex autopta me audire memini, Juvenem amplexus ingemuit, dicens, formose Juvenis, ni ego in simili, quo tu, statu locatus, idem ceperam perfeceramque consilium, non jam senex, liberisque orbus, solus in aula protrahere vitam cogerer.

Icti igitur vos, Nobilissimi Auditores sapiatis, atque morbi turpia docti magis sollicite caveatis, aliosque bono vestro consilio adjuvetis.

Dedit sapientissimus humanarum rerum Arbiter, Deus, in Lusitania virum immortalem Christophorum Columbum. Hic vir anno 1488, Regi Lusitanorum obtulit libellum supplicem, rogans, ut Serenissimus Rex vellet ipsi naves dare, quibus exsequeretur, diu pectori insitum consilium de novis atque fortunatissimis terris detegendis: contigerat forte haud diu antea, ut Rex hicce, omnium rerum satis gnarus, simili incitatus spe, et oblatione; in Africae regionem Guineam oram auream, (vulgo belgicè de Goud-kust) dictam, expeditionem fieri curasset, sed infelix hujus rei eventus obturatas Regis aures hoc tempore Columbo fecit: Ille igitur misit fratrem Bartholomaeum Columbum in Brittannias, qui conaretur persuadere Henrico Regi, ut hanc expeditionem ipse promoveret, hic itaque ei chartam obtulit, in qua Itali nonnulli scripsere eum exhibuisse Regi totius tunc cogniti novi inventi orbis delineationem, quam tamen Summus Eques Vir Hans Sloane in libro de descriptione insulae Jamaicae, in bibliotheca Regia omni opera

cum

De Lue Venerea.

cum quæsivisset, fatetur se non potuisse invenire, sed ad tapetia nonnulla in aula pingenda adhibitam dicit: repulsus et ibi, abiit in Hispaniam, et per Confessorem Reginæ persuasit, ut Regina septemdecim millia aureorum (belgicè pistolen) daret, ut expeditionem susciperet, quod præstitit, et Quarto Martii (fatali die) A° 1493 ex America, ubi novas terras detexerat, in Europam appulit tumque primum cum multis suis Sociis advexit morbum Venereum; et hoc mihi videtur fuisse verum, et primum, hujus luis in Europâ initium.

Ille morbus triennio post, adeo fuit creber et horrendus, ut Antonius Be-nivenius A° 1496 scribens in libro de abditis nonnullis ac mirandis morborum et sanationum causis Capite primo dicat, totam Europam tunc temporis jam ferè contabuisse hac lue.

Anno 1494 Carolus Octavus Francorum Rex bellum gerebat cum Alphonso Neapolitano Rege, urbemque Neapolin suis copiis obsedit, quo tempore in castris Gallorum nondum apparuisse dicitur hoc malum, sed cum forte Neapolitani, urbem strenuè defenduri, scorta, ut belli impedimenta ex urbe ejicerent, hæ à Gallis libentissimè receptæ, Amatoribus suis donavere morbi hujus prima initia:

Dicit Fracastorius in libro de morbis contagiosis: ante hæc tempora nunquam apparuit hic morbus, post, subito apparuit ubique, unde credo novum Europæ morbum fuisse:

Notissimum est A° 1464 apparuisse imprimis in Italia, Hispania & quædam scripta, in quibus morbi heteroclitici describuntur, imprimis illi, qui partes genitales afficiebant:

Contigit inde ut multi putarint, jam eo tempore ante Americam detectam, hunc morbum cognitum fuisse, et Clari quidam in Britannia Scriptores ex actis quædam perduxerunt, ex quibus probare conantur, jam tunc temporis Gonorrhœam virulentam à fœdis mulieribus fuisse viris communicatam, et hanc esse vetustissimam.

Alii putant Hippocrati et Galeno hunc morbum jam fuisse cognitum imo Mosi, et in Sacris Litteris jam memoratum fuisse: sed non ita verum hoc videtur, quod forte nimis præcepi, sed tamen, re omni excussa, rei veritate coactus, assevero.

Dico nunquam ante id tempus, idest circa Annum 1493 & 1496 apparuisse talem luem: dico talem, id est, quæ perfectè talem materiam, causam excitantem, partem affectam, et effectus similes gereret, facta definitione pathognomica; alias etiam plurimi morbi habent aliquid simile, sed ex eo nil deducitur! Doceat hoc solum contagium; nam vera lues venerea semper, rarissimis casibus exceptis omnem consortem infecti hominis vel mulieris afficit, sed nullus morbus notus est, qui tam subito hac ratione, tam immani contagio adeo per totam Europam dispersso, partes libidinosas afficit.

debemus

de Lue Venerea.

Debemus hanc rem rite considerare, dico igitur.

1mo fuit ante hæc tempora scabies, mirus morbus, qui fere quasi de spirituali principio natus, infestavit omnes fere, quotquot sunt, homines: Ille etiam primò tenuis, soli epidermidi inhærens, omnes calidos, quos attingit, inficit, hic morbus major dein factus postea in ulcera crustacea degeneravit, et hic ingens morbus deturpat corpora, et vadit usque in panniculum adiposum, hicque morbus occupat omnes partes etiam genitales, et si vir immunis cum fæmina tali etiam in partibus genitalibus infecta (et vice versa) rem habuerit, certissime scabie laborabit. Sed ideo tamen nil cæterum simile habet cum lue venerea.

2do fuit ante hæc tempora scabies fera, quæ ipsam cutim infestat, et se usque in adipem corporis insinuat, et ipsum rete Malpi, quod attingit; hinc fiunt ulcera subcutanea pinguedinem depascentia sinuosa, hinc inde se aperientia; occupat omnes partes etiam pudendas, et præcedenti adhuc magis contagiosus est; sed à lue venerea longissime distat; licet multi eam esse putaverint:

3tio Lepra Judæorum, est morbus descriptus à Mose in Levitico, quem quam accuratissime debet legi, ut intelligatis quanta curâ morbos tractavere Veteres: locum habet in cute, cuticula et panniculo adiposo, alba est instar nivis, squammosa, et pro gradu diverso pilos cadere facit, vel non; hic morbus est adeo contagiosus, ut Moses vetuerit talibus hominibus omne cum cæteris commercium, imo nasum & os laminis opertum gerentes debuerunt incedere: occupat omnes partes etiam pudendas, et inficeret illico integrum exercitum hinc putaverunt esse luem veneream, sed cum ea nil commune habet.

4to Elephantiasis accuratissime ab Aretæo descripta: vocatur lepra Arabum & Judæorum, horrendissimus morbus ortus ex esu fuillæ carnis in Asia et qui sub Zona torrida carnes pinguiores, ut humanas & suillas commedunt: incipit in pinguedine corporis, illamque attollit in magna tubera horrendi coloris perfecte referentia cutim Elephantis: depascitur totum corpus et omnia facit mori, suffocat et in lardum rancidum convertit, & magna frusta mortua de corpore decidere facit, quod locum non habet in Lue Venerea: morbus fere est incurabilis, ejusque contagium mira celeritate se insinuat, hocque solum est, quod cum Lue Venerea commune habet, maculæ etiam fiunt, et dein tubera, quæ majora et majora evadentia tandem putrescunt, omniaque usque ad ossa exedunt, ut mortua decidant. oriuntur etiam pustulæ circa glandem penis et præputium. et hic morbus adeo horrendus, ut Nostrates in India cum navibus versantes eos, qui hac labe infecti sunt, auctoritate publica relegent in Insulam his destinatam, ubi miseris illis hominibus certo moriundum est.

5to Considerate Phlegmonem, Erysipelata, Ulcera in natura sua, in pudendis, quæ nil à cæteris in aliis partibus differunt: hisce affectos sæpe ad me venire vidi, putantes se Lue Venerea infectos esse, cum phlegmone, Erysipelas has partes tantum occuparent, et hæc mala adeo se distinguunt an sint à Lue venerea an non, ut prudens medicus falli non possit: fuere hæc mala enarrata, semper contagiosa, in omnibus etiam morbis acutis semper aliquid subest, se contagii veteres recte putaverunt; omnium maxime contagium

communicatur

de Lue Venerea.

communicatur in locis calidissimis sub Aequatore et intra tropicos sitis; in summo etiam illo aestu humores citissime mutantur in putredinem: narrat etiam Bernoelius, quod elephantes, qui de montibus delapsi atque mortui fuerant, brevissimo tempore adeo putrescant, ut nil nisi sceleton supersit, quod et de balaenis in littus projectis et mortuis, verum est:

In Asia, ad partes genitales sub praeputio naturales sordes colliguntur, quae acres redditae generant multa mala, quae praecipue videntur ad luem veneream accedere (non verò est Lues venerea) hinc omnes illae gentes praeputio se privare et circumcidere necesse habent, ut immunes sint ab hoc morbo, imo nostri nautae hoc experiuntur, dum in illis terris degunt, nam nisi quotidie praeputium eluerent aqua salsa, aceto vel similibus remediis, brevi eodem morbo laborarent: non mirum enim est, quod multi medici, qui non accurate ad haec attendant, putarint hanc luem veneream esse:

patuit igitur huc usque Luis Venereae terminum indicatum fixum fuisse in Europa, hoc probari facillimè potest ex consensu omnium auctorum, qui illo tempore de Lue Venerea scripsere, nec scio ullum ejus temporis esse, qui aliter sentiat, sic exem: gr: Jacobus Carpus, Fracastorius, Fernelius, & omnes Scriptores Itali, quos nuper conjunctim in egregio de Lue venerea opere hic imprimi cum nostra praefatione curavi:

Intellexistis dein mecum multos morbos ulcerosos, scabiosos, squammosos, leprosos contagiosos fuisse, qui omnes omnino partes corporis, adeoque et genitalia obsederunt:

Ergo nemo putet, quod non fuerit morbus qui quaedam communia cum lue venerea symptomata habuit, dum dico, quod hinc nemo possit arguere omnia signa pathognomica eadem fuisse, adeoque eundem fuisse morbum, et neminem antiquitatum peritum daturum exemplum morbi, qui per contagium venereum participatum exivit in tales effectus, quales edit Lues Venerea.

Verum quod omnium maximè illi auctores urgent, est id, quod habetur in Scriptore omnium antiquissimo (Mosen me scitis intelligere) Magnus hic vir et summus legislator tales tulit populo suo lascivo, sordido et quasi tantummodo vago in deserto, leges, quibus non modo salutati animae prospicerct, sed et inprimis sanitati corporum, quod neglexerunt omnes legislatores, qui tantum animae suorum prospiciebant: hic vero etiam cavit, ne in exercitu hominum 300000 ullus oriretur morbus: hinc sapiens ille vir istos morbos, qui tunc temporis in Asia & Aegypto fuerunt, quam maximè explicuit, et si quid contagii subesset, quam maxime medelam et cautionem adhibuit: Haec omnia sunt verissima continenturque in Levitico, qui liber propter sacra, historiam naturalem infinita sapientia conscriptam complectitur: Capite igitur XV. Moses descripsit, unde Viri Clari voluerunt argumentum elicere, tunc temporis in exercitu Judaico cognitam fuisse luem Veneream.

Novistis in omni animalium genere non esse magis olidas partes & faetidas, quam generationi inservientes: novistis etiam quo lascivius est animal, eo semper has partes magis faetidas esse:

De Lue Venerea.

Novistis hunc fœtorem tempore libidinis venereæ admodum augeri.

Notissimum est præterea nullas partes esse magis nudas, inflammationi exulcerationi & suppurationi suscipiendæ magis idoneas, quam eas, utpote in quibus dura cutis desinit; quod verum est in virorum præputio interiori, glande exteriore et urethra, ut et in mulierum tota vulva, in quibus epidermis tota à labiis in Epithelion desinit:

In regionibus fervidissimis quibuscunque hæ partes his tribus proprietatibus inficiuntur omnium facillime, et quidem maxime in viris non recisis, ubi perducuntur inter glandis convexa et concava præputii sordes naturales (vide Pisonem de materia glandis convexitatem et concavitatem præputii illiniente) hinc novimus olida ibi congregari, unde in Asia, Africa et America in ea parte inflammationes, ulcera & summæ suppurationes ortæ fuerunt, nunquam Lues Venerea: hinc vir ulcera his locis gerens, et cum muliere pura rem habens, ipsam quidem inquinat, non tamen Lue venerea:

horum autem ulcusculorum exemplum vidi in his frigidis regionibus; cum nobilis vir ad me veniebat summopere his partibus afflictus, dicens tamen se nunquam corpus muliebre attigisse: examinans has partes inveni sub præputio ad glandem et inflammationem et ulcuscula sat lata putrida; primò putavi aliquid subesse mali Venerei, cum tamen abesset indoles materiæ, quæ in lue Venerea exit, credidi tamen me judicium debere suspendere: jussi ut animo quietus balneum institueret et lavaret cum melle sale ammoniaco, aceto et aqua stillaticia sambuci, quibus adhibitis brevi fuit sanatus: neque aliud fuit malum, quam quod orificio præputii angustiori, non depuratis partibus, summo æstu, sordes collegerat putrescentes:

postea vidi in Oriente libros medicos conscriptos, et inveni quod nostri homines eo delati, ibi sub præputio, colligant pessima ulcera, sine ullo omnino contagio venereo: vidi de serpentibus ulcusculis circa genitalia scripsisse Hippocratem in Epidemicis: vidi quod Celsus, quod Plinius de ulceribus malignis ex concubitu oriundis, scripsere; sed si rite examinentur nil docent, nisi ulcera communia in his partibus hæsisse.

hinc propter hæc omnia imprimis naturalis ratio fuit, cur præputium sibi potius præcidi curaverint, quam ut hoc malo laborarent: hinc et Judæi coitui tamen præ cæteris dediti, adhuc hodie præcisi minus Gonorrhæa inficiuntur, quam alii homines, qui præputium integrum habent, quia non tam facile sordes sibi contrahunt:

Videamus nimirum, quid habet Moses capite XV Levitici, ubi describitur gonorrhœa masculina vera quadruplex, versu secundo his verbis, Si viro exiverit genitura de sua carne impurus erit, & versu tertio, Si viro de carne sua exspuitur instar salivæ humor, impurus erit &c. phrasis est ibi elegans, quæ notat si salivæ, ritu quasi de osculo ejus lente ejicitur humor, tum dicit impurus erit talis, et omnia lintea contacta erunt impura et lectus in quo concubuit, et sella, in qua hæsit, erunt impura, et homo quem tetigit etiam erit impurus, et manebit impurus donec totum malum abierit: quod publico testimonio coram sacerdote demonstrabit:

Secunda

De Lue Venerea.

Secunda Species est versu eodem tertio: Si homini de carne mittitur humor, qui fluorem seminis obturat, (id est si materia fuerit tam crassa ut partibus adhaereat) impurus erit.

Tertia Species Versu 16to narratur: Si Viro de carne ejus humor concubitus (id est bonum genitale semen) tempore somni exiverit, impurus erit.

Quarta Species Versu 33tio videtur proponi, ubi de mulieris Gonorrhaea dicit, Quod si mulier laboraverit fluxu de carne sua sed ex debilitate (advertite, additur si ex abrupto) & Vir &c. Hinc fluxus materiae liquidae, qui ex debilitate oritur, ibi describitur.

Prima species quae hic describitur, est stillicidium liquoris, qui assidue prodit: liquor ille hodie eadem ratione nobis in hac frigida regione prodit: scilicet vir florida aetate, corpore valido ac sano, ubi diu à venere abstinuit, versatus dein in consortio amabilis sexus, vesicam postea exonerans, deprehendet post ultimam urinam emissam aliquid lenti tenacisque cum sensu ingrato per urethram duci, et premens partes deprehendet liquidum pellucidum instar salivae ex vene exire, hocque durat saepe sat diu: hoc mihi in praxi centies observare licuit: si alvum duriorem majori pressu exonerant illi homines, aliquando per horam unam aut alteram hoc symptoma adest, quod convenit perfecte cum praecedente casu: hinc saepe cogitavi, an non fuerit hic idem ille morbus, nam in fervidissimis illis locis ille humor in calidissimo loco collectus facillime putredinem concipit etiam talem, ut Legislator inde conversationem prohibuerit cum aliis: sed debeo dicere non esse speciem hujus fluxus, miro existimo homini cuidam datum erat ab Agyrta bibere oleum terebinthinae limpidissimum contra malum nullius fere momenti, cujus olei paucae guttae imprimit urinae odorem violaceum; assumserat majori copia, quid contigit? tum non modo omnis urina exibat, sed etiam perpetuo materia mucilaginosa alba destillabat, quod erat tantum productum à calido hoc remedio, hinc per summos calores hae partes sic affici possunt, ut per dilatata oscula materia, quasi nutritia & chylosa exiret: sed forsan dicetis hoc non satisfacere tantis cautelis, quas Moses ibi adhibet, et quod tum non opus fuisset arcere, verum etiam ubi totam rem examinavero, videbitis me vera dixisse, nam ubi describuntur mulierum gonorrhaeae non adhibetur talis cautela:

Est quidam inter sapientes Rabbinos, qui dicit nil detestabilius esse coram Deo, quam vir sine muliere, hinc ne vir sit sine muliere lex ubique cavit, hinc dicit, prohibuit Moses severe omnes tales occasiones, quae facerent ad impediendam prolis generationem, hinc sane vir hanc rem acu tetigisse videtur:

Altera species gonorrhaeae est, quod multoties contingit, quando hominibus sanis dormientibus diu, forte genitura ejicitur, mane evigilantes, quando urinam reddere volunt, non sine molestia dimittunt, quia semen vitiosum has partes obsidet: hoc in fervidis illis regionibus multa mala producere potest:

tertia species est tantum etiam in somniis venereis, quam tamen Moses severissime prohibet, et quod hoc se exoneraverunt, ad vesperam usque impuros pronuntiat.

Quarta

De Lue Venerea.

Quarta species videtur esse à simplici tantum dilatatione vasorum,
fateor hanc rarissime contingere, ego quod scio, hujus exemplum vix vidi,
licet omnes veteres Græci eam accuratissime describant; sed in his nun-
quam quid contagii subest: ultra nil est in omni historia, quod a ullo
ad morbum venereum refertur: hoc longe manifestius est nunc consideran-
ti fluxum muliebrem; dicit scilicet versu 19no & seqq: Quod mulier
menstrua naturalia patiens, debeat esse separata, quod im-
pura sit, et omnia quæ attingit, et omnes reddat impuros.
hujus rei certe mira ratio est, nam in locis illis naturalibus, aëri ex-
positis, in regionibus fervidissimis, in plaga corporis semper uvida sanguis qui
fere de vasis tenuissimis inprimis uterinis stillatim sinum mulie-
brem, rugosum & satis amplum, pro parte retinetur, et retentus
fracedinem putridam facile contrahit ut norunt omnes: hinc si
mulieres hujusmodi non repurgentur, hac retentione horrendam pu-
tredinem contrahunt, et vir fervidus cum tali muliere fervida rem
habens, certe inflammationem concipit in has partes, quod et in his
regionibus aliquando obtinet, sed tamen nil venerei subest, quod ad
ossa usque penetrat, et horrenda ulcera facit, sed est tantum vulgaris
inflammatio, unde sæpe suppurationes fiunt, quas jam olim Hip-
pocrates, Plinius, Celsus Galenus nobis descripserunt; hinc summa
cum cura Moses arcet tales mulieres ab omni conversatione cum
viris, qui in regionibus illis fervidis facile hujus rei periculum sub-
irent, unde res ad religionem deducta est, unde dies separationis:
Hinc et mulieres in Asia et America ad minimum bis de die la-
vant omnes partes inferiores corporis inprimis genitales, hinc no-
tum apud Turcas et Persas &c omni mane et vespera balnea ap-
plicari ad inferiora, eodem modo quo viris ibi obtinet circumcisio:
Secundus fluxus diuturnus dicitur præternaturalis, et de hac
dicit eadem, quod debeat separari.

Tertius est quem describit versu 33tio fluxus ex debilitate, qui est
gonorrhæa, etiam hodierna mulieribus otiosis et laxa corpora habenti-
bus, quem rheumatismum uterinum dixit Charletonus, estque idem
cum eo, qui sæpe in infantum naribus observamus, vasa etiam dila-
tata et laxata malum glutinosum fundunt: hæ mulieres sunt fri-
gidæ, vix venere lætantur, ubi enim robustæ evadunt nil mali adest:
hæ autem viros non inficiunt: hæc enim omnia videntur nos immu-
nes præstare ab argumentis, quæ medici adduxere, ut probarent
antiquitatem Luis Venereæ:

Habuere veteres quidem, integra capita morborum, sic habet
Hippocrates caput de verecundis partibus mulierum earumque morbis:
Celsus de morbis vulvæ accedentibus et Plinius de morbis genita-
lium virorum: et vestrum erit observare inflammationes, phlegmonem
erysipelas, ulcera, carbunculos, pustulas, ab his viris circa has partes
descripta, sed simul etiam animadvertite remedia, quæ erant lotio-
nes ex aqua, aceto, posca &c, quibus facile curabantur; ex iisdem libris
vobis patebit, his sæpe ulcera lata non facile sanabilia accidisse,
sed curarunt tantum vulgaribus remediis, hinc non fuerunt conta-
giosa, quod autem difficile curentur, ex eo tantum est, quia tempore
venereo rigescunt partes atque turgescunt, et omnia filamenta dis-
tenduntur et disrumpuntur, vulnera fere ad cicatricem deducta, unde
summa illa difficultas oritur:

Inter

De Lue Venerea

Inter eos, quos deinde post Mosem (quia nemo morbos Lui venereæ propriores descripsit) magni illi viri producunt, antiquissimus est Hippocrates, qui in libro de affectibus internis, de quibusdam morbis epidemicis mentionem facit in Asia, Græcia et Insulis Maris Mediterranei, mala summa ad genitalia fuisse, inflammationes scilicet, ulcera, ulcera saniosa, difficile curanda; verum si mecum perpendere velitis, videbitis nil fuisse nisi epidemici quid; etiam in peste oritur semper bubo ad inguina, si vellem inde deducere, quoniam hoc etiam fit in Lue Venerea ergo pestis etiam est Lues venerea: certè hoc repugnaret, adeoque cum Hippocrates in uno alteroque tantum epidemico hæc mala memorat, patet in hoc nihil de Lue Venerea prostare: si quod deinde Celsus habet in binis capitibus, altero de morbis vulvæ, altero de morbis, qui pudendis virorum accidunt consideretis, sane et hic nil hujus morbi memorat; nam ibi nil memorat nisi inflammationem, ulcera, et duplicem gonorrhææ speciem, quæ simplici et sicco remedio curari dicit:

Plinius pater, paulò post plura dicit, morbum Tiberii tempore scribit exortum, qui primò labiis contrectabatur, et dein mentum afficiebat fœdo et spurcoso habitu, unde mentagora dicebatur et difficilis erat curatu: sed talia in scabie, apthis et quolibet morbo epidemico et endemico etiam obtinent, ideoque nil speciale ad morbum venereum habet:

Galenus autem nil habet, nisi quod Hippocrates, Celsus & Plinius jam dixerant: Nihil adeoque in his est, nisi quod omni tempore omni homini imprimis in regionibus calidissimis oriuntur quidem morbi, ad omnes partes, etiam genitales imprimis hominibus libidinosis & spurcis, hinc omni homini et omni tempore in calida regione accidere potuere, quod præterea docent duo argumenta:

1mo Modus curandi, nam ex Veteribus constat, usos eos fuisse meris fomentis, balneis victu et diæta & remediis nonnullis vulgatissimis naturalibus, detergentibus, aperientibus, exsiccantibus humectantibus &c: sed quid hæc ad Luem Veneream curandam;

2do Quod non fuerit contagium. Si certè iis temporibus quibus homines vivebant ex suo ingenio fuisset morbus tam contagiosus quam Lues Venerea, quæ in Caroli Regis castris intra paucos dies 400 Nobiles afficit, quid contigisset profusissimis illis temporibus? atque illis temporibus nulla fuit mentio hujus contagii:

ex his dico constare, nullo vel minimo exemplo vero probari posse Luem Veneream in Europa aut Asia apparuisse, ante terminum à nobis datum: Ergo morbus hic primo fuit inter Hispanos et Lusitanos: omnes saltem plerique hujus morbi antiquissimi scriptores hoc uno ore affirmant, sed tamen hic morbus obtinuit ante hæc tempora in aliis orbis cogniti partibus: an ergo in America? statim videbimus, sed fuit ante tempora Columbi quando Rex Lusitanorum malo cum successu primam expeditionem in Africam fieri curasset (de qua antea) in eo loco est morbus inquilinus, et inde ab eo tempore cum servis sibi emptis fuit in Americam & Hispaniam deportatus:

solent.

De Lue Venerea.

Solent enim Lusitani in Africa, et quidem in ora arcus Guineæ (belgicè de Bogt van Guinea) ubi omnes fere homines hoc morbo naturaliter sunt infecti, servos emere et deportare in Americam pro colenda ea regione, fœdissimus enim mos est incolis arcum istum Guineæ inhabitantibus, ut parentes liberos, liberi parentes vendant Christianis, & hi jam servi ubi in Americam pervenere, eò secum hoc malum transtulere: certe Americani ajunt, ante tempora Lusitanorum et Hispanorum hunc morbum ibi non fuisse, quod adhuc hodie de traduce per traducem dicunt (legite Guilielmum Pisonem in Historia Brasiliæ) sed à Nigritis, quos Lusitani secum attulerunt eo pervenisse:

hoc est quod omnium primò invenire potuimus; hinc valdè credibile, quod hic morbus sit propriè Africanus, et devectus inde per naves in alias regiones, quod hinc maxime probabile videtur, nam hoc lecto excussi omnes auctores, qui vixere apud Africanos, et inveni hanc horrendam historiam (est ibidem clima omnium fervidissimum) (unde omnis terra aret, omnis aqua putrescit, et peregrini ibi citò moriuntur, et omni fere tempore autumnali fit strages magna circa oras maris) mos ibi est, istis hominibus certe libidinosissimis ut Bosmannus dicit in descriptione Guineæ, sæpe se vidisse, quod scilicet aliqui Mappales vel vagi hominum quorundam turbines, abominabili consuetudine, collatis symbolis emant juvenem puellam, hanc includant tugurio, et dein omnes quodquod sunt, seorsim ingressi cum ea congrediantur, idque sine ulla mora interposita, tamdiu continuent donec puella jam fere putrefacta moriatur, imo jam sæpe cum mortua rem habent adhuc, hinc addit, morbum pudendorum contagiosum venereum et haus dictum ipsis esse communem:

Certe hæc videntur nobis dare rationem originis hujus mali, quod propriè apud ipsos tantum genitalia occupat: & servi, qui inde emuntur et deportantur etiam in navi sunt curandi, aut alias brevi in mare præcipitandi, quia totam navem infestarent:

Hæc certè qui considerat, illi nihil videtur magis horribile homini, sed forte hos homines prosapiam Chami pro hominibus non habebunt Judæi nimis de se superbi; sed ipsi satis sunt propudiosi, legite modo historiam de Levita et Benjamitis, Judicum Capite XIXno Libri primi, videbitis, miser Levita, qui concubinam secum duxerat, pernoctatum cum venisset prope Hierosolymas, venisse eos, et voluisse, ut Levita educeretur, ut tanquam Sodomitæ abuterentur, et cum deprecatus esset vir hoc flagitium, orans, ut cum ipsa puella potius rem haberent, ea muliere per totam noctem ita abusi fuerunt, ut sequenti die mortua in vestibulo inveniretur:

Ergo in Africa ad hos propudiosissimos morbos aliquid endemici accidisse videtur, nam si per solam ejusmodi fœditatem contractus esset, tunc et apud Benjamitas debuisset ortus fuisse, quod tamen non factum est, hinc in Africa est quid endemici, unde hæc lues orta fuit:

Probabile ergo est, ex tali plusquam brutorum voluptate oriri posse morbum fœtidum circa genitalia, non posse oriri luem veneream nisi illud endemicum accedat, hoc si accedat, ad hujusmodi usus propudiosos venereos, tum luem veneream oriri; quod idem de variolis et peste verum, quod primum in Asia, loco videlicet endemico ortæ, dein alio fuerunt transportatæ.

Hoc

De Lue Venerea.

Hoc nunc clarius patet ex historia memorabili, quam refert Monsr de Blegny, qui narrat puellam quatuor decim annorum à matre propter petulantiam castigatam, domo excessisse, & in cœnobium confugisse, ubi monachi, quos maxime hoc facinus decebat, eam derelictam videntes, ea seorsim singuli per varios dies abusi sunt, cum vero tandem metuerent, ne res patesceret et forte operis hujus pertæsi, eam in ecclesiam immisere, et quasi forte fortuna ibi inventam domum remisere: puella domum redux, cœpit primo sentire ardorem urinæ, quod cum celaret, alia etiam accesserunt symptomata, ita ut matri suæ indicare cogeretur, quæ Chirurgum arcessens ex eo percepit, filiam ex distractione partium vera Gonorrhœa laborare; illa primo rem negavit, sed ubi bubones inguinales paulo post accederent, totam rem confessa est: Chirurgi igitur publici in cœnobium immissi, examinarunt hos monachos, quos omnes perfecte sanos invenere: Ex qua historia patet, posse quidem circa genitalia oriri ex immani coitu mala, maxime autem luem veneream contagiosam, nam viri non erant infecti, ut alias oportuisset; sed fuit tantum inflammatio ex nimia distractione et quasi dilaceratione partium, et bubones: hoc autem Clarissimus Du Cajus Sancto-Romanus, Vercellonius aliiq; confirmant: unde merito iterum concludimus, ad hæc omnia mala debere accedere aliquid endemici, antequam hic verus morbus venereus oriri possit:

In Europa, dum excutio omnia, invenio primum morbum apparuisse Valentiæ in Hispania Anno 1493, ubi nobile erat, instar Thaidis scortum: erat autem eo tempore, in exercitu, equestris ordinis vir nobilis, morbo elephantiasi vero, Africano, pessimo, quem solus Aretæus Cappadox recte descripsit, laborans; hic ut malum auro obtegeret, quinquaginta aureis (: Pistolen) unam noctam ab hac meretrice redemit hæc postquam auro (: ut omnes solent) obedivisset, et aditus creberrimos haberet juventutis nobilis, post hunc congressum intra paucos dies 400 homines infecisse dicitur, quorum plurimi erant in exercitu Caroli Regis, unde lues venerea brevi se diffudit: Legite Dominicum Leonem, qui habetur inter luis Venereæ scriptores hic editos, pagina 903 hanc historiam Helmontius Pater assumit, unde plures existimant, ex scorto et homine elephantiasi laborante ortum in Europa fuisse malum venereum: En prodigiosum hoc malum jam cito plurimis contingens; nam post hæc tempora hic morbus ubique fuit creberrimus, adeo ut non esset Civitas Italiæ, quæ non erat infecta.
Aggrediamur nunc ipsum hunc horrendum morbum.

De morbo Venereo ipso.

Hic conabor vobis omnia sincera, vera et ubiq; efficacia dicere, et quantum fieri poterit, ipsam certam curationem hujus monstri indicare. Dico igitur.

1mo Morbus hic nunquam ortus fuit sponte: dico morbus hic, id est morbus in Europa natus, qua in 1mo in Africa et America ortum duxerit, ignoro: Ergo non est morbus humanus, id est qui ex hominis fabrica et natura oritur, qualis est pleuritis, peripneumonia, quæ promiscue omnibus hominibus oriri possunt, ex idea scilicet corporis humani

quod

De Lue Venerea.

Quod de Lue Venerea probari non potest, nam hic morbus nunquam illi ex sua natura ortus fuit: hoc autem pro axiomate primo pono.

2do Nunquam est deprehensus in homine puro consuescente cum muliere pura, et vice versa. adeoque ex natura libidinis venereæ oriri non potest: novi quid fingat industria humana, sed re explorata semper deprehensum est aliquid imprudentiæ humanæ accidisse; et si homo purus abutens uxore, scilicet concubina pura hoc malo unquam laborasset, caderent omnia ante dicta, sed hoc me pro axiomate secundo ponere, facile concedetis omnes ex refutatione auctorum supra memoratorum.

3tio A pluribus puris conversantibus cum una pura nunquam hic morbus ortus est. Hoc est contra Vercellonium, sed exempla qui vir doctissimus, qui contrarium maxime urget, adfert, nil probant: Verbi gratia de viro forti et nobili, qui uxorem duxerat puellam juvenem virginem, cum qua in certamine strenue congressus cum esset, uxori Gonorrheam ortam dicit; sed ne quidem addit, cujus generis Gonorrhea fuerit: concedimus quidem oriri posse membranarum rupturas, inflammationem, sanguinis profusionem, et hinc stillicidium saniosum, sed negamus hunc esse morbum Gallicum: Blegnii, quem jam ante refutavimus, quod habet ardorem urinæ, quod bubonem venereum, non vero ipsum morbum memorat, sine credo multa mala oriri posse si plures puri cum una pura congregiantur, nunquam vero morbum Gallicum, si modo recte distinguamus:

Sic intellexistis morbos esse quosdam, qui accidunt membris quibusdam corporis nostri, qui usque adeo referunt ideam Luis Venereæ; ut nisi quis in praxi jam satis exercitatus sit, in diagnosi facillime decipiatur. Sic membrana Schneideriana narium, quando sumus sani tantum perspirat quid, aut tenuem pellucidum liquorem fundit. Sed si concipitur ille morbus, qui vocatur Catarrhus, Coryza et oritur hic inflammatio vera, dolens tumens, rubens, calens, quæ vix substitit per paucas horas, quin incipiat destillare liquor acris et rodens: secundo vel tertio die morbi, tanta copia crassi subflavescentis et subviridis muci secernitur in hac membrana, ut tota muccinia repleat fetida materia, quæ omnia, secedente morbo cessant: si nunc hæc materia linteo excepta, in aëre exsiccetur, videtur esse materia Gonorrhæa: tale jam malum quotidie videmus ex innoxia et levi causa ortum:

Similia jam à tempore Hippocratis in genitalibus tam maris quam feminæ observata sunt, sine ullo contagio venereo; hoc in praxi etiam continuo observatur, et ibi tum primo similem tenuem lympham, mox mucum, tandem magnam materiæ mucosæ et flavescentis colluviem producit, unde patet, si recte à medico perito distinguantur, quod non, nisi qui utrumque bene vidit, distinguere poterit:

His itaque morbis sepositis, concludo, morbum hunc nunquam observatum sponte ex læsa à vitio quocunque, sanguinis circulatione, fuisse ortum;

Sed ad naturam hujus morbi accedamus:

De

De Lue Venerea.

De Natura Luis Venereæ.

Prima proprietas est; Quod ab infectis hoc malo adeo faci-
le inficiatur homo, cui omnia munimenta contra hoc
malum adsunt, ut tota ejus natura ab hoc malo suf-
fugetur: quid autem proprie illud malum sit, absolute ignoramus,
sed se per quædam phænomena præsentia manifestat, quæ collecta
vobis proponam, quæq; hoc malum ab omni alio malo distinguunt:

A. Si hoc malum hæret in homine infecto, potenti-
am habet se insinuandi in corpus absolute sanum:
et cum hoc corpus sanissimum totum inficiatur ab
hoc malo, patet quod potentia in hoc existat valens
infinite superare omnes corporis vires: fit hoc tam fa-
cile ut incredibile sit, nisi expertis, fit tam cito, ut solo contactu
inter calefacta corpora sensim concipiatur, et tam fæcunde, ut de
scintilla minima summum protinus oriatur incendium:

B. Verum contagium purissima corpora, quæ
afficit, potest corrumpere: Vidi in nobili et formoso ju-
vene, natum exiguum ulcusculum, sic se propagasse, ut nullum
angulum corporis immunem postea reliquerit.

C. Ergo habet potentiam invertendi omnes
humores bonos: vidi illum Juvenem, qui tantum habebat par-
vum ulcusculum in naribus, quod à nullis medicis aut chirurgis in
Gallia, Brittannia, Germania, ubi iter fecerat, sanari poterat
cæterum corpus erat purissimum; hoc tamen malum ita illum totum
corrupit, ut tota facies, oculi, aures, nasus inde fuerint læsa.

D. Hinc inest huic contagio vis potentissima (si ita
loqui liceat) sui propagativa: unde multi hoc tempore putarunt,
hoc virus esse animalium genus, et produci ex congerie animalculorum,
quæ corpori sano recepta, se per totum illud corpus propagarent et in-
finita velocitate multiplicarent, quod inde probabile putant, quia
mercurio anthelmintico remedio curatur; sed hoc nunquam videre
potui, atq; scio mercurium has vires habere; sic si ulcera in cute
existentia non semper curentur, totum corpus inficiunt, et si sanies
sumatur et sano corpori applicetur, semper et illud infestat; hæc
infectio omnia corrumpit, (quod non scio in alio ullo morbo esse) imo
ossa, cartilagines viscera &c: inficit, imo durissimum cranii et femo-
ris os in materiam mutat, ut instar carbonis exstincti friabilia
reddantur; semper per corruptas partes se propagat hoc malum:
ergo.

E. Materies hæc est adeo tenuis, ut applicata extrinse-
cus, ad partes inferiores, cute tectas, se insinuare possit.

novistis

De Lue venerea.

Novistis quod totum corpus extrinsecus loricam habeat, cutim scilicet, satis tenuem et strictam, ac corporibus peregrinis obsistentem.

Ille igitur tabus venereus calidus, calidæ cuti applicatus per hanc se insinuat sub cute, ut dein cutim corrumpat, et in tabum venereum omnia destillare faciat: oportet ergo (quum nunquam fiat epidermidis elevatio nisi in fræno penis glande et præputio) ut tenuitate sua valeat penetrare sub cute, et ibi ulcus facere; atque dein cutis superinducta corrumpitur.

F. Ergo non cogitandum, quod id quod videmus in tabo sit illud venenum; nam hoc cutis excludit, sed in hac maxime hæret tenuissimum illud volatile, quod se potest insinuare et totum corpus pervadere; quod vel apparet ex hoc casu: Hagæ Comitum duo amici simul, in uno lecto dormiebant, unus purus, alter Lue laborans: purus in illo latere, quo alteri accumbebat, accepit pessima ulcera, quam rem miratus, et se tamen à morbo immunem sciens, medicum adiit qui re examinata, cum vicinia loci, ab altero infecto, morbum accepisse dixit.

G. Hac proprietate hoc malum quam proxime accedere videmus ad scabiem: si exempli gratia, homo qui vera scabie laborat, manu calidâ, alterius manum calidam attingat, alter sine dubio scabiem veram accipiet, quæ nata ex tali imperceptibili causâ corporea, proserpit per totum corpus, ibique manens sola, primum leni pruritu se manifestat, dein, ut vidi sæpe, ulcera facit, quæ ad ossa usque penetrant, eaque corrumpunt. Hinc

H. Lues Venerea potest etiam quam facillime propagari: primam historiam de scorto quadringentos homines inficiente ex Leone vidimus: imo contigit ut ex testibus fide dignissimis accepi, in Noble Spanza, (locum hunc sic vocant incolæ) morbum hunc devastasse perfecte totum locum, ita ut nemo superstes manserit, nam

I. Solo halitu potest propagari; quod moneo, ut vos curaturi hæc mala, prudentes sitis: Contigit exemplum mihi curanti nobilem Juvenem, cui ulcera in naribus et faucibus erant, quæ ad distantiam quinque vel sex pedum halitum effundebant usque adeo cadaverosum, ut ego, qui tamen in his non adeo sum fastidiosus, fere in animi deliquium inciderim, cum nimis prope ad malum hoc explorandum accesserim, et inde tantam siccitatem et ardorem, in partibus respirationi dicatis, sensi, ut aliquid mali subesse metuerim, unde postea nunquam ad illum ægrum accessi; priusquam iste, cum posca, ex aceto et aqua sæpius gargarizando, hæc loca purgaverat: Vidi in Nobilissimo et Eruditissimo Viro, sinuosis ulceribus pudenda et perinæum sic exesa fuisse, ut cum integumenta amoverentur, oriretur mephitis, quasi ex kadavere tempori calidissimo putrefacto, hæcque materies, loca quæ attingebat semper afficiebat.

K. Hinc certus sum, quod id virus sit adeo tenue, ut cum aëre possit corpora inficere: Locutus sum cum medico, mihi amico, Delipeaux, qui fere per totam habitatam terram iter fecit: hic mihi sæpe retulit, quando Venetiis et Genuæ centum

vel

de Lue Venerea.

vel quinquaginta homines in uno loco sustinerent salivationem, ex jussu Magistratuum, qui bis de anno omnia prostibula et homines nefandos sanari curant, ut aliorum infectionem caveant, materiam adeo putridam in illo loco exhalavisse, ut homo locum ingressus & insuetus summam inflammationem acciperet. hinc ergo

L. Quando hic halitus corpori calido et sudante excipitur ab homine infecto calido et sudanti, vel ab homine salivationem sustinente, facile homo sanus inde affici videtur; quod maxime fit, quando mercurius hominis infecti humores dissolvit, unde abundans cautela hic nocere non potest: Medici quidam dixere non ita facile communicari, sed illi certe causa fuerunt multorum malorum.

M. Post halitum, basio impuro, purus homo, vel infans fuerit vel adultus, vel senex afficitur, vel si impurus ipse afficit; talis fuit ille infans, qui tabo laborans à matre lactatus tabo eodem laborante, dum vicinæ mulieri osculandi ergo offertur, vicinæ os primo solum, dein etiam alias partes affecit ulceribus: porro historiæ medicæ plenissimæ sunt his exemplis.

N. Omnium maxime propagatur contagio saliva: scimus sane esse illum liquorem, hactenus quem novimus eam vim habere, qua instar lavacri abluitur per argentum vivum de corpore infecto omne virus, hinc videtur in ea esse quædam proprietas singularis quæ associat facillime has partes in se, nam exemplo constitit, canes, si hominis affecti, mercurio curati, tempore salivationis, salivam linxissent, fuisse mortuos; hæc et similia prostant in Ephemeridibus Germanis.

O. Lingua autem sordida et lasciva omnium pessime afficit et afficitur homo: ex binis posterioribus scilicet saliva et linguâ infectis omnium pessima luis venereæ species oritur; vidi formosissimum Juvenem, cui Parisiis reduci, nulla alia erant signa Luis, nisi tantum in ore & faucibus, cum hoc mirarer, quia nullum alium locum infectum invenirem, dixit mihi se hoc tribuere lasciviæ fœminarum Parisinarum, quæ eum vix dimittere voluerant imo quasi rapuerant: species hæc morbi inde orti, primo labia et gingivas afficit, deinde corpori reliquo nondum infecto, se vis cido fasciculum humori insinuans ulcera ibi facit vix sanabilia, non præcedentibus signis ut Gonorrhœa ardenti urina &c: nam in hac specie nullum aliud malum apparet tantummodo in locis illis fungosis, ulcera illa vix sanabilia, quasi se figunt:

P. Suctu infantis infecti ad mammas mulieris puræ malum hoc ortum fuit: bina exempla vidi in hac urbe: mulier vicina miserta, vicinæ ægrotantis infantem, ut solaretur ejulantem puerum, eum suis uberibus admovit; quo facto, post aliquod tempus invenit, se infectam esse, pessimis ulceribus circa papillam

De Lue Venerea.

et areolam mammæ, cui infans applicatus fuerat, et etiam laborabat venereo morbo, quem, re examinata, à puero illo acceperat:

Q. Lacte et papillis infectis puro puero fuit itidem communicatus morbus: In principuâ familiâ Haganâ, puer pulcherrimus à Patre et Matre non infectis natus, traditus nutrici certè formosissimæ, et ut apparebat impuræ, corripitur miro morbo, à quo ad ossa fuit exesus, antequam moriretur, re examinata, inventum fuit, pulcherrimam hanc nutricem totam lue venerea fuisse infectam, eamque infantem nobilem infecisse.

R. Contuberniis et somno in eodem lecto inprimis calefacto corpore, inficit et inficitur homo. inprimis si sudore aliisque humoribus, lintea, stragula, indusia &c: inficiuntur, malum propagari potest, si satis calidum sit tempus, imprimis si calescens adhuc est locus infectus, et corpus suscipiens calidum: hoc multi putarunt, et putant non esse verum, sed hinc est quod Moses tam severus in morbis contagiosis cavit: vidi chirotecam scabiosi abjectam et jam frigefactam, ab alio deinde inductam, intra paucos dies alterum illum infecisse: Vidi et mulierem, quæ in taberna publica vendebat multas res, hæc accipiens quosdam nummos, quos manu calida retinuerat emtrix, eos calefactos sibi traditos, diu manu calida tenuit, et intra paucas horas se scabie infectam vidit, unde patet mira propagationis vis, ubi metalla contagii vim attrahere possunt:

S. Omnium maxime tandem spurcitie ulcerosa propagatur: Lues facit ulcera, illa autem materia omnium certissime inter omnia inficit, quæ ex ulceribus illis promanat, nec est pus; intelligo hic ulcera ubicunque in corpore fuerint, præcipue tamen ulcera illa genitalium, tam virorum quam fœminarum, verissimum quidem est, quod inter omnes modos afficiendi, hic sit efficacissimus, quando spurcosa materies genitalium sanis partibus applicatur, falsissimum tamen est, hanc solam, ut dicunt quidam, inficere: tabus venereus potest communicari cuicunque parti corporis, nullus autem est locus, qui citius inficitur, quam genitalia:

Ex binis hisce ultimis proprietatibus, factum est ut multi Clari Viri putaverint, hac sola spurcitie in genitalibus oriri hoc malum, in qua sententia sunt et multi, quorum opera in Aphrodisiaco habentur, sed in alia sententia ibidem etiam sunt plurimi:

T. Contagium hoc non semper æque actuosum suum virus propagat in corpore, cui applicatur; sed causæ physicæ sunt, quæ faciunt, ut fortius vel minus fortiter afficiat: videndum ergo jam est, quomodo hoc virus reddatur actuosum: Authores, qui de rebus venenatis agunt, imprimis animalibus dicunt, ferâ extinctâ, venenum extinctum est; dicunt scilicet scriptores, quod si virulenta hujus morbi materies, penitus refrixerit, et frigida corpori fuerit frigido applicata, nunquam nocuerit, sed si calida applicetur, quod tum vires exercuerit: contagium ergo hoc quiescens seu ex se, seu per frigus externum, redditur actuosum:

De Lue Venerea.

1mo. Æstu cæli, hinc eadem profecto causa agens in idem corpus fri-
gore brumali minus inficiet, quàm cælo æstuante, et quo cælum fuerit, vel
per Clima, vel per adspectum Solis, vel per alias causas physicas, calidius
eo citius et intimius depascit, et celerius communicatur. Hoc experimentis
constat, unde patet cur in ferv idissimis illis regionibus, in principio illius
mali totæ regiones depopulatæ fuerunt, sed hoc simul habent, quod etiam
iis in locis morbus citius et commodius curetur:

2do. Calorem temperiei huc referimus, observatum quippe fuit constanti
lege contigisse semper, ut quo quis fuerit calidior eo citius penetraverit
hoc malum; sed contra si quis fuerit Leucophlegmaticus, pituitosus, nun-
quam aut raro tam violenter inficitur, sed hic vix iterum curatur ita, quin
semper fere aliquid superstes maneat; hinc infantibus morbus hic omnium
violentissimus fuit deprehensus: mirati sæpe sunt Medici, cur Hippo-
crates pro axiomate medico ponat, infantes esse calidiores, et hinc deduxe-
rit multos eorum morbos, dicunt enim nulla corpora sunt humoribus
magis repleta, et in nullis corporibus humores lentius moventur, sed errant
nam Thermoscopia docent, quod si homo Quadraginta Annorum Thermos-
copium Fahrenheitianum ad 90 gradus rarefecerit, illud infanti ante
quintum vel sextum annum applicatum, in eadem sanitate duobus gra-
dibus plus assurgat:

Ergo per experimenta constat, quod si his recte valentibus tenellulis
corpusculis insinuetur hoc malum à nutrice omnium violentissime agat,
(ut in casu illo à me supra recitato) hæc nutrix Hagana videbatur opti-
me valere, morbique in ea nihil apparebat, qui tamen in infante prodigi-
oso modo se manifestabat, quo morbo in dicto casu, vidi, trimestri spatio,
miserè dilaceratum et mortuum fuisse; hoc ergo omnino notandum in cu-
ratione infantum:

1 Notamus ergo, quod in illa temperie calida, malum, quod in alio latuit,
se manifestet et plus vigeat:

Hinc intelligitis notissimum illud, quod jam olim Nicolaus Massa,
Vir in hoc morbo describendo verè summus, scripserit, tenuiorem scilicet et re-
frigerantem diætam summum esse remedium ad extinguendam Luem Vene-
ream, quia si calor corporis augeatur, aut aliquid calidi, acris &c detur, sem-
per actuosius reddatur hoc virus.

Hinc perniciosissima hæc Lues est in Juvenili ætate, dum calor ipsos
incitat, cum tamen Veterani milites non ita eâ affligantur, sed in iis
latet magis illud lentum venenum, quod immistum corpori Juvenili incen-
dium parat. Summopere autem notandum est, ad hanc luis actuositatem
respectu caloris.

Quicunque nunc sunt frigidi vel per ætatem, vel per temperiem, vel per
morbum prægressum, magna vix mala, de hoc viru patiuntur, sed languent
nunquam valetudine rectâ fruentes; rarissime vero per ipsum mercurium
curantur:

Hinc quoque videmus, quantum ad sexum muliebrem, hodie constare
earum corpora esse frigidiora masculinis; quod Hippocrates pro funda-
mento posuerat medicinæ:

Mirantur sæpe medici, unde fiat, quod prostibula et scorta tam diu
ferant omnem illam colluviem, et semina hujus morbi sine magna jac-
turâ, occulta gerant, dum tamen aliis interim hoc malum satis actuosum

communicant

De lue venerea.

communicant; rarissime videmus re examinata, meretrices publicas adeo hoc malo exhauriri quam viri sicciores, calidiores et humoribus bonis pleni, quidem exhauriuntur nisi in florida ætate, hinc etiam cæteris paribus mulieres laxiori suo corpore facilius accipiunt, sed acceptum morbum longe magis occultum gerunt, et diutius sine damno.

3tio. Impetus æstus venerei hoc malum excitat: vocarunt vetustissimi mortalium & sapientes Veneris incitamentum ignem: hinc Veneris maritus dicebatur Mulciber, id est Vulcanus, unde Virgilius libro secundo Georgicorum, versu 324.

Vere tument terræ et genitalia semina poscunt.

et hinc etiam ignem vel calorem concipere est in Venerem pronum esse. Hicce impetus æstus venerei, est totius corporis vera inflammatio, unde iterum recte φλογωσιν, φλεγμονην, flammas Veneris vocarunt:

Hic impetus venereus ut totum corpus, sic omnium maxime partes calidiores afficit, unde inprimis partes genitales ob tritum mechanicum topicam inflammationem accipiunt, imo totum ignem ferunt, ut, si diu duret, in gangrænam partes duceret, uti in priapismo nimis diu durante apparet, in quo necessario vena penis præ metu gangrænæ est secanda:

Hinc quo plus his igniculis accenditur cor hominum, eo is, qui inficitur magis actuosum habebit virus inficiens, ita ut huc fere pertineat major minorve morbi gradus; quo enim flagrantior est voluptas, eo profundius se insinuabit, et acrius seque citius per totam corporis molem propagabit virus; id practici semper dicunt.

Frigidiuscula libido hæc omnia lentiora et molliora patitur, et morbus hic pedisequus est summæ voluptatis.

Hoc mille exemplis patet: neque hoc unquam fefellisse vidi, quod formosissimus juvenis ætate florida, si se conjunxerit cum vulgatissimo scorto, quæ forte ipsa, luis non amplius erat capax, si tum tamen aliquem calorem conciperet ex conspectu formosissimi juvenis, tanto fortiori veneno inficiatur et citius, quanto ipsa plus exarserat libidine, certissimeque vidi, quod si tres aut quatuor socii debacchantes eodem uterentur scorto, hi qui formosissimi erant magis infecti recesserint: unde didici nihil esse quod propagationem hujus veneni acrius incendat et ad contagium incitet seq. intimius insinuet, quam si talis vir excitet ipsam fœminam et fœmina virum in ardorem:

Hæc medicis summopere sunt consideranda, quando curant hos homines, nulli enim homines difficilius curantur quam formosissimi in ætate florida constituti, et sanguinolenti cæteris scilicet paribus:

4to Omnia quæ externe corpus calidius reddunt, ut aër motus vigiliæ, cibus potus et medicamenta; hæc fuere sæpe optima admonentia sæpe pessima excitantia: forte mille casus vidi, ubi juvenes cum mulieribus infectis cum coivissent, non icti recedebant ut putabant et quamdiu moderate et sobrie vivebant nil mali sentiebant, sed ubi largius potando immoderatius se gerebant, apparebant aliqua hujus mali incendia: namque hoc certum est, licet exterius nondum per signa apparuerit, vel per medicamenta eo sit perductum tamen ille moderate vivendo nil videt, sed immoderate gerenti se apparet malum quod est, non recruduit, ut vulgo dicunt, sed nondum fuit remissum.

Hinc hæc deducta est regula, si quis curatur hoc morbo et per septimanam unam aut alteram sospes sit, et dubitet an non lateat adhuc morbus

tum

De Lue Venerea.

tum utatur ille Theriacâ Diatessaron, Philonio Mesuæ, sale vipera„
rum &c: uno verbo assumat medicamentum summopere corpus incendens, tunc
si quid superest mali illud se pandet, si vero nihil se manifestet, tanto ma„
jor fides sit hominem curatum esse:

Hisce præpositis, Auditores Ornatissimi, qui hisce curandis vos dedica„
bitis, moniti eritis, ut semper vobis ipsis et Chirurgis, qui vobis sunt auxilio
eorumq; ministris, eo tempore, quo ægri sunt in calore summo, eo tempore
quo maxime venenum à medicamentis solvitur, eo tempore, quando maxi„
mè exhalant, cauti sitis, ut dum aliis inservitis, ipsi non inficiamini;
nam scio varia exempla, quam sero doluerint infecti per hasce undas, qui
antea nimis certe temerarii putaverant, se hoc malo non ita facile pos„
se infici; nihil vero metuendum est, quando homines frigidi in aëre fri„
gidiusculo, infecti nobis adstant, tunc enim nullo exemplo, aliquem in„
fectum fuisse constat; in historia curationis patebit, nunquam curari
hoc malum, nisi per excitatam febrim, seu mercurio, seu decoctis anti
venereis, seu summis sudoriferis; nunc vidi per examina summum
contagii periculum tunc esse quando morbus exploditur; sic Virum Am„
plissimum et formosissimum curavi, cui curâ Hottonianâ sudanti
adstabat servus ejus semper insons & fidelis ipsum tractans; postquam
sanatus fuit herus, pessimo morbo famulus fuit affectus, qui a vero
perpetuo adstiterat, et hoc inde factum patet ex eo, quod ad nares fau„
ces, et cutim externam, loca aëri patentia, malum primo se pandebat:
hinc facile concipi potest, quantum tunc contagium istud sit metuen„
dum, et quam cauti et solliciti in curatione esse debeamus:

Dixi omnia quæ spectant ad causas hujus mali, nunc agamus,

De Locis, quæ omnium primario afficiuntur Lue Venerea.

Omnia totius corporis loca, quæ exponuntur externis corporibus
teguntur unâ communi membrana, quæ epidermis dicitur, hæc
quin ubique corpus tegat, nemo dubitat: hæc incumbit cuti dictæ, quæ
cutis quid sit non tam specialiter constat medicis, quam quidem epi
dermis, quæ tantum est pellicula pellucidissima densissima &
solidissima in sua tenuitate, sine ullo vasculo hactenus noto.

Sed quid est cutis? hæc partem habet quæ directe epidermidi est
contigua, ubi papillæ sentientes rete Malpighii penetrantes emi„
nent, sub quo reticulo hæret textura mere nervea unde papillæ hæ
oriuntur, tum sequuntur vasa omnis generis, directe autem sub hac
cute hæret colluvies pinguedinosa:

habet enim cutis in se tria diversa,

1mo Corpus densum reticulare, quod nigrum in Æthiopibus nigredi„
nem illis conciliat, hæc membrana enim ab Epidermide differt:

2do Huic reticulari contextui succumbit series nervorum, quorum
papillæ adscendentes formant tactus organum, et tanta copia sunt ut
tota cutis ex iis constare videatur:

De Lue Venerea.

3tio inter tegmen horum nervorum intercurrunt vasa omnis generis et hae faciunt cutim, et tria haec tam diversa, tam arcte cohaerent, ut Anatomici omnia haec simul deglubant, unoque nomine cutim vocent:

Haec ergo cutis lue ratione potest infici, imo qua parte est omnium maxime crassa; namque suo jam tempore retulit Nicolaus Massa (qui scripsit viginti quatuor annos post ortam Luem Veneream) obstetrices, quae officium praestabant parturientibus Lue infectis, jam tum per manus suas auxiliatrices fuisse affectas: narrat Vercellonius, quod juvenis quidam lasciviens cum meretrice, cum qua prae metu contagii nolebat coire, manu sinum lue infectum adtrectaverit, et hinc horrendissima ulcera, pustulas venereas circa manus acquisiverit, quae primo utpote sui conscius neglexit, sed dein morbo correptus, cum ad medicum accederet, ille eum lue Venerea laborare pronuntiavit, licet Juvenis juraret, se nunquam cum illa muliere rem habuisse, sed semel tantum lasciva manu meretricis genitalia attigisse; haec igitur docent, ubi maxime densa est cutis ut in manibus, nihilominus posse hoc malum sese insinuare, licet locus sit à corde fere remotissimus: hoc nunc his temporibus est tam evidens, ut obstetrices hodie infectas parturientes, tangere nolint:

Jam itaque puto dabitis mihi, quod omnes partes reliquae, cutis etiam possint affici, cum de manibus constet: quod alias facillimum esset probatu:

Sed longe facilius inficiuntur loca cute carentia et tantum epidermide tecta; dixi epidermidem ubique esse extrinsecus corpori inductam: Oculi nostri habent cutim usque ad limbum palpebrarum, sed Clarissimus Fredericus Ruyschius primus demonstravit, quod cutis cum epidermide eo perveniens desinat, sed sola permanens epidermis interius investiat palpebrarum superficiem et dein recurrens super bulbum oculi eum etiam cingat: sic etiam in naribus cutis ad duas vel tres lineas intra nasum ingressa desinit, dum tamen progreditur epidermis, totam membranam Schneiderianam faciens: sic etiam in labiis ubi cutis desinit, ut manifesto patet, et epidermis pergit, et omnia illa loca ubi cutis desinit, epidermis pergreditur, papillasque investit, unde Ruyschius cum θηλη papillam significat, eam ἐπιθήλιον vocavit, quam ubi nomino, intelligo epidermidem papillas investientem; idem jam fit in bronchiis, faucibus, ventriculo, intestinis, sub praeputio, in vagina:

Quemadmodum malum hoc deprehensum est tantae subtilitatis, ut sic se insinuare possit, patuit tamen, quod omnia loca quae afficiuntur, eo tempore quo afficiuntur debeant esse calida, nam calore dilatatae partes augent penetrabilitatem, frigidae partes minus admittunt.

Tamen omnium facillime afficiuntur loca, quae carent cute, et tamen attactui externo exponuntur; sic ulcus ad cutim labii non facile eam exedit sed ubi in epithelium pervenit minima aphtula saepe in ulcus insanabile degenerat; hinc si ulcus venereum concipiatur in cute facile curatur, sed ubi cutis deest difficillime: sanguifera autem vasa, directe sub epithelio in locis cute carentibus ponuntur: hinc partes illae, cute carentes rubent, ut sunt nares labia, praeputium, glans penis &c: ergo caeteris paribus, venenum insinuatum his partibus, penetrato epithelio non occurrit reti Malpighiano, sed semper venis resorbentibus.

alterum

de Lue venerea.

Alterum occurrit à Ruysschio notatum, quod respicit verrucas venereas, quod genus mali solet fere ad illa loca oriri, ubi cutis desinit: ante multos annos Ruyschius impleverat omnes arterias infantis, cujus totum corpus apparebat ruberrimum: dum hoc corpus poneretur emolliendum epidermis secessit, qua deglubita corpus reticulare manebat, in locis nunc iis, ubi hoc reticulum non erat, exempli gratia in labiis, epidermis etiam secesserat, in iis nunc locis, ubi reticulum aderat, nihil assurgebat, ablata epidermide, nisi papillæ nervosæ erectæ, sed totum labium, quasi pinnis districtis assurgebat in papillas erectas, quæ tantum in situ retinentur per impositum epithelium; hæc ratio est, cur hic tanta tamque horrenda mala contingant, ita morsu tenuibus fibris epithelii labii ablatis, verrucæ horrendæ oriuntur, imo tota labia cancrosa evadunt: Idem verum est in pene virili, uti in eodem cadavere Ruyschio apparuit; nam cum glandis epithelium etiam deglubitum esset, tum tota superficies glandis erat aculeis hirsuta, sed quando in glande viri deglubitur pars epithelii, tum glandis corpus in horrendos tumores cancrosos assurgit.

Duo ergo sunt loca, ad quæ potest extrinsecus applicari hoc malum.
1mo ad loca cutim habentia:
2do ad loca epithelio tantum tecta, sub quibus directe decurrunt vasa arteriosa et venosa omnis generis, et papillæ Malpighianæ; hæc loca ultimo memorata facillime adficiuntur Lue venerea, et semel adfecta semper totam sanguinis massam inficiunt; quod vero semper ubique verum est, nam facillime venenum per has partes se insinuare potest, et exiguum ulcus in his partibus ortum pejus est quam maximum in partibus cute tectis: partes autem cute carentes, et epidermide tantum tectæ sunt.

1mo **Nares**. Ruyschius demonstrat cutim intrare nares usque ad $\frac{1}{6}$ pollicis, ubi desinit, et ibi tunc epithelion invenitur, et nares ibi rubere incipiunt. ad hæc loca si affigitur malum venereum difficillime curatur: si homo quis laborans simplici gonorrhœa virulenta, incautus forte digitum inquinaverit lurido hoc tabo, et dein hoc digito nares scalpserit, facillime tabes contagiosa hic applicata locum tunc inquinat, et pessima mala producit.

2do **Labium**. et hinc credo vix ullam partem facilius infici, si Fallopium, Nicolaum Massam (qui præstantissime de Lue Venerea scripsit) revolvitis, videbitis ex solo basio ab honestissima matrona dato proprio infanti, qui ubera mulieris infectæ sugebat, matrem infectam, et curationem Luis Venereæ requisitam fuisse.

3tio **Ad os internum**. quippe ad linguæ superiora, circa fauces, buccas et gingivas, horrenda illa mala oriuntur: quid dicam de palato, velo pendulo, de uvula de tonsillis? certe pessima mala et ulcera hic oriuntur: Novi Vercellonum dixisse hoc esse ex sympatia uteri cum faucibus, sed in physicis tales causas abditas non admitto: sed si saliva veneno hoc infecta iis partibus applicatur, facit certe summa, et fere incurabilia mala: huc refertur etiam

4to **Guttur et Gula**. possum forsan dicere, ubique adhuc spem esse in Lue venerea curanda, sed quando membrana pinguetudinosa, cartilagines gutturis investiens, ulcusculis afficitur, nunquam vidi curatum esse malum: Paracelsus, qui in omnibus erat magnus jactator, dicit se malum paucis diebus curari posse, sed si has partes occupaverit, tunc longo tempore opus esse.

5to Areolae

De Lue Venerea.

5.to **Areolæ Papillarum**: In viris æque quam in mulieribus, nam utrisque in utero degentibus mammæ lacte fere plenæ sunt, et viri æque ac mulieres, data occasione lac ex mammis fluxerunt: in papilla demonstrante Ruijschio epithelion tantum est, quo deglubito tota hæc pars resolvitur in meras papillas nervosas adsurgentes: Hæc est ratio quare hæ partes æque affici possint, quam glans penis, nam papilla etiam in fæminis assurgit, et mulieri in lactando, vel ubi papilla contrectatur, voluptatem parit, et nusquam sunt magis patuli canales, quam hic, ut Ruijschius, et Antonius Nuckius demonstrarunt, qui viam esse patulam ex arteriis in ductus lactiferos, et ex his ductibus iterum in venas demonstrarunt

6.to **Præputium in interiori parte etiam inficitur**; hæc pars est materia mire pendula, maxime consideranda: habet enim primo epidermidem, secundo cutem valde mobilem: cutis autem desinit ad primam flexuram præputii introrsum, qua parte penem spectat: quando venereæ sordes in contagio coitus ab infecta muliere se affigunt huic parti, et præputium tunc iterum tegit glandem, recondit venenum in loco calido, et glandi penis communicat, et hæc est ratio cur tam sæpe hic oriantur ulcuscula: putabant multi, detersa parte, nil mali amplius superesse, sed illo loco venenum ubi reconditur a minimo ulcusculo maximum sæpe oritur malum; post hunc locum sequitur

7.mo **Corona glandis**, ubi hæret sola epidermis, et oscula patula criptularum mucilaginosarum retro spectantium, si in has partes se insinuat malum, tunc undique assurgunt et faciunt collare Hispanicum.

8.vo **Superficies glandis**, quæ epidermide sola tecta vasa venosa, arteriosa et papillas nerveas quam plurimas habet: vasa sanguifera in orgasmo venereo, et summo coitus ardore, inprimis valde impleta sunt, compressis venis pudendis; adeoque et epithelii glandis meatus tunc temporis, etiam sunt majores; momento post hæ venæ, sub illo fere nudæ hærentes, flaccescente membro, illud venenum applicatum hauriunt.

9.no **Circa frænum glandis et præputii**: ibi locus est omnium maxime inficiendus: in nullo loco superficies interior urethræ minus distat a parte, quæ facillime omnium inficitur, quam ubi frænum applicatur glandi penis, et directe supra irradicationem fræni in hunc locum; ubi sunt maximæ lacunæ in urethra, ibi est maxima distantia; hinc hæc plerumque est sedes Gonorrhææ, et sedes mali frequentissime hic observatur:

Præter hæc, in viris vix alia invenimus loca, ubi solum epithelium contingit vasa nuda: sed in fæminis

A. **Ad labia vulvæ desinit cutis, et solum epithelium partes internas obvelat**; unde omnia hæc loca structura sunt simillima faucibus humanis et partibus genitalibus virorum; hinc mirum non est eadem hic oriri mala.

Verum hic imprimis notamus lacunas, viscosum humorem et rugosas vias, quæ omnia ad nulla loca plus inveniuntur, quam ad urethram, ubi pone clitoridem ad rugas myrtiformes in vaginam desinit, quæ undique circumcingitur glandulis hujusmodi, quales in corona glandis inveniuntur hæ omnes fundunt, lubricum, viscosum, suboleosum succum ad partes hic

maxime

maxime nervosas, ab acrimonia urinæ defendendas: ad hæc loca omnium maxime malum Venereum applicatur, et hic maxime omnium viros inficit: cæterum,

B. Per totam vaginam oritur quoque hic morbus, et ibi facit alia mala.

C, Tum os uteri internum et externum affici potest. Uterus in fæminis eminet intra vaginam, atq; illa superficies uteri, quæ in vaginam eminet vocatur os uteri internum, quia parte vergit versus exteriora, ubi multæ lacunæ mucilaginosæ ab Joanne Baptista Morgagnio etiam descriptæ: hic rarissime tamen Lues Venerea occurrit, nam mulieres hic infectæ alunt infantes et leni partu educunt infantes, licet etiam infectos: in viris autem res satis clara est, sed miseræ fæminæ innoxiæ sæpe à viris inficiuntur, et tunc incognito malo de ardore urinæ &c: queruntur: sequitur nunc ut agamus,

De historia medica Luis Venereæ.

Illa pars corporis, quæ prima attingitur à materia contagiosa, prima semper sic affici solet, ut appareat eam affectam esse:

Illud dum recensui primos authores, qui hac de re commendabiles sunt, deprehendi semper verum esse ac fuisse.

Hinc itaq; inchoamenta susceptæ Luis solent inprimis se manifestare in illis locis, quæ primum à materia contagiosa contacta fuerunt: et hæc regula est inventa nullam exceptionem habere, sic ut sit certa morbi proprietas: una est observatio, quæ paululum generalitatem limitat, sed alias credo ex mille hominibus vix unum deprehendi in quo malum se primum manifestavit in alio loco, quam qui primus attactus fuerit:

Hinc valde multiplex hic morbus, et sæpe tam multiplex, ut in morbo dirissimo Medici sæpe authores fuerint aucti vel neglecti mali.

Putatur vulgo, quasi primo vel fere solum in partibus genitalibus contraheretur hic morbus quod non verum est, nisi eo usq;, quod ubi primus locus contactus, ibi primum malum oriatur:

Hinc itaq; clare evici nullum locum esse vel cute tectum vel epithelio, quin ibi se figere possit malum, unde ille morbus quandoq; in cute exteriori apparet, quandoque ad solas manus, guttur &c: sine ullo alio signo apparente, unde patet admodum multiplicem esse hunc morbum, quæ observatio ad curationem legitimam hujus morbi maxime facit.

Pessimus hic morbus absq; ullo omnino signo mali, ad genitalia sæpe se manifestavit: pessimum morbum voco in Lue Venerea illum, qui usq; in medullam ossium se propagat, hinc irreparabili damno ex hoc meditullio se dispergit per solida ossa, inde per periostium, panniculum adiposum, dein per totum corpus, licet hoc in cute nondum appareat:

hoc ita verum esse, deprehensum fuit ab omni tempore: ita Antonius Benivenius jam notavit, quod inter pessimas species, pessima fuerit, quæ sine ullo vitio extrinsecus apparente, interiora occupabat, adeoq; hoc in casu regula illa generalis paululum limitanda est, cum morbus in interioribus sæpe hæreat, sine ullo signo externo; hunc casum ipse vidi, et primi scriptores semper dixere eum esse pessimum.

hinc minime verum est, hunc morbum semper incipere à pudendis, ut plurimi scripserunt, qui ad se venientes, tutos pronuntiarunt, si viderent pudenda ab eo morbo libera; his sane qui fidem habet decipitur.

Contingit quandoq; ut venenum calefacto corpori applicatum sic se insinuet, ut nullum signum relinquat in loco insinuationis; hoc forte videtur vobis improbabile, sed mille opinor casus vidi et novi, ubi homines purissimi

se

De Lue Venerea.

se commiscentes cum scortis publicis; inde redierint nullo in urethra, nullo in cute apparente signo; hoc est certissimum; talis tamen homo post quatuor vel quinque dies forte, incipit conqueri de molesta quadam resistentia dum lotium reddit, miratus hanc tarditatem contrectat, premit ductum urethræ, et sic tandem exit prima Gonorrhœæ materia.

In morbus se insinuat sine ullo signo extrinsecus apparente, et tamen ad interna venit; unde Gonorrhœa oritur, quæ male tractata abit in pessima ulcera, ut postea videbimus.

Ergo manifestum est de natura hujus mali, ut quidem partem contactam primum afficiat sed tamen ita ut non semper signis externis se manifestet, sed invisibile venenum per meatus minimos penetret, humoribus se misceat, et morbum procreet: hinc sæpe decepti fuere medici quando consultores, qui libidines suas nimis colunt, ipsos consulebant: solent illi rogare, an in partibus genitalibus aliquid vitii habuerint, an tumoribus testium, inguinum ardore urinæ, pustulis &c: laboraverint: ubi vero illi tale quid adfuisse negant, sed dicant se circa vesperam refrigeratos, eo tempore & nocturno summos dolores circa ossa pati, qui ad Auroram evanescunt: sæpe tunc jubent medici tales ægros securos esse, dicunt enim esse tantum scorbutum et iis exhibent remedia antiscorbutica, qui morbus tamen nunquam in hæc mala degenerat, nec ea adhibent remedia, quæ eos ab hoc morbo securos reddere possunt.

Cogitavi semper postquam medicinam feci, quod talia mala videamus in hominibus torosis, robustis Juvenibus &c: fieri posse, cum se commisceant scortis pessime infectis, omnium pessimum morbum tum nasci posse, sine signo extrinsecus apparente:

Narrat, inter præcipuos qui de hoc morbo primi scripsere, quod habuerit amicos, qui in locis publicis se in lecto adhuc calido componentes, morbum acceperint, ideo quod is, qui paulo ante ibi cubuerat, morbo laborasset: sic de cognato suo narrat princeps Author, quod cum homo quis ulceribus venereis laborans forte in lecto sudasset, quem derelictum calentemque adhuc cognatus ingressus, morbo correptus fuerit, ulceribus pessimis sese per totam cutem manifestantibus.

Ergo in loco attactus, non semper requiritur signum notabile mutationis facta.

Juxta hanc historiam, videtis labia fauces pudenda &c prius posse affici cum manifestis signis, verum etiam hoc insinuatum posse sine ullo manifesto indicio se altius insinuare, et eligere locum, unde postea vehementius eructet:

Hæc Authores testantur: hæc ego plurimis exemplis probata vidi.

Hac in re nunc maxime notandum, quod dum dico illum locum primum affici, ad quem pervenit contagium, tum non debeamus præcise intelligere illud contagium à scorto allatum, sed intelligendum hoc de contagio quomodocunque delato:

Casum vidi in viro nobilissimo, sed nitorem corporis parum curante, qui Gonorrhœâ malignâ valde laborans, à nullis medicis vel optimis curari poterat; venit igitur ad me, rogavi, ut ostenderet partes affectas; horrui, nam lintea omnia, indusia &c: tabo pessimo venereo erant infecta: morbi igitur illius continuatio et insanabilitas non à contagio erat, sed ex eo quod materies in linteis hærens et corpori calefacto iterum applicata, de novo alia faciebat ulcera:

Bene novi; quod homo laborans gonorrhœâ virulentâ, cum hunc humorem exprimeret, ut videret an viscidus adhuc esset, digitum hoc humore conspurcatum, forte in nasum ingrediens immiserit, unde brevi horrenda ulcera in naso orta fuerunt:

hinc

De lue Venerea.

Hinc itaque dum monui de loco affecto, vos pro attentione vestra facile memores eritis atque certi eum esse intelligendum locum, cui quomodocunque sit venenum applicetur, et huic semper in primo initio applicandum esse medicamentum topicum.

Videtur nunc, ut ante quoque dixi, sine longe magis propagatio hujus mali oriri, quam ab affinitate locorum, cum dixerunt omnes, glandularum membranas tantam habere affinitatem, ut una affecta, afficiatur et altera, & credo luem Veneream ortam fuisse saepius ex Gonorrhaea (quae alias raro transit in morbum Gallicum) dum materies gonorrhaeae aliis partibus fuit applicata: hoc docent exempla obstetricum et Juvenis illius, cujus manus sola attrectatione sinus muliebris affecta fuerat:

hinc in curando hoc malo applicatio remedii fieri debet,

1mo ad locum primo infectum, quod corollarii loco, ex priori regula elicio, hinc felicissima in principio morbi, medela.

Alii semper remedia applicant ad interiora, de loco infecto non solliciti, sed nos experimentis edocti, scimus cavendum esse, ne malum hocce propaget se, et nos debere aggredi partem, cui applicatum fuit malum, et dein ablutione facta, ex ipso loco ingressum expellendum.

Nunc his praemissis, videtis meam methodum dum conor nil omittere, quod facit ad claram expositionem hujus mali:

Vidistis igitur partes, quae affici solent et quomodo, quando Lues Venerea primum oritur.

In prima autem sua origine hoc malum inventum fuit omnium maxime subtile fuisse, et per historiam et durationem magis magisque sensibile et corporeum factum fuit.

Pessima mali species, sine ullo apparente signo externo se manifestabat toto corpore affecto: videte magnum Gabrielem Falloppium, qui accuratissime de hoc morbo commentatus fuit, videbitis et hunc et caeteros primum ortum sic notasse.

In America erant pustulae simillimae scabiei Gallicae, nomine Gans ibi dictae, quae tam subtili contagio erant praeditae, ut sola perspiratione inspirarent quasi corpori sanissimo simillimum malum, unde patet prima ejus subtilitas; sed ubi hic morbus inde fuit delatus in Europam, ex eo orta fuit lues Venerea, quae apud illos homines talis non fuit, quam apud nos, nam facilius ibi curatur, nec tam crassa phaenomena habebat: initio igitur sic se habuit.

Scitis Anno 1494. omnium primo in Hispania et Neapolitano Regno apparuisse hoc malum, dein vero intra biennium totam Europam fuisse infectam.

Primus scriptor bonus fuit Antonius Benivenius Florentinus: qui Anno 1506 & 1507 edidit tractatum de abditis morborum causis et curationibus, fuitque pulcherrimus Author Medicus, qui tunc temporis totum morbum describens haec habet: Primo, inquit, natus morbus incepit à pustulis, hae fere semper in partibus genitalibus, raro in capite, sed quod per totum corpus apparebant. Hae, dicit Author apparent variolis similes &c. Unde variolae et quia in Hispania primum ortae, Hispanicae (belgice de Spaansche Pokken) dictae sunt. hodie illae pustulae raro occurrunt, unde etiam nulla est ratio, cur illum morbum comparemus cum variolis:

Deinde sex capita novi inventi hujus mali enumerat:

1mo. Erant

de Lue venerea.

1mo Erant pustulæ semper planæ, minime exstantes sed scabræ in superficie, subalbidæ, squammosæ squammas ponentes, et dein sub his caro corrosa apparebat: sic adhuc hodie sunt, et inde ab omni alio ulcere distinguuntur, atque hoc est primum apparens:

2do dicit Erant pustulæ variis similes, rotundæ, squammosæ, sub his caro rubicundior, ex qua virulentia fætens perfluebat: hoc erat secundum genus.

3tio ait, Erant quædam pustulæ latæ, planæ crassiores, squammas habentes, virulentiâ copiosâ fætidæ, sub squammis caro obscurior, livescens, exulcerata.

4to dicit, Ulcera erant cum squammis subalbidis, quibus remotis aliæ pustulæ remanentes cicatrici similem foveam relinquebant: quod etiam hodie verum est, nam si curentur homines, ubi ingens ulcus fuit, cutis et panniculus adiposus pereunt, et epidermis musculis accrescens fœdissimam cicatricem relinquit: porro inquit, Hinc si manat cruor, insanabile fere malum est: et hoc adhuc hodie est, cum arteriam eroserit hoc malum: hæc tandem, inquit, eunt in scabiem siccam, et tum malum pessimum est.

5to Dolores horrendi articulorum succedebant. Vidi cum summa commiseratione hominem, qui cæterum toto die hilaris erat, per atria domus, simulac advesperasceret, præ dolore currentem, qui summi dirissimique dolores circa Auroram iterum recedebant:

6to dicit, Ulcera oris fauciumque oriebantur lethalia. sed cur lethalia? quia tum vim mercurii et usum nondum sciebant, et hæc non curantur nisi mercurio: hæc igitur mali primum orti est idea:

Post hunc scripsit Leonicenus magnus quidem Medicus, sed qui tamen non tam accurate hunc morbum descripsit, adeoque Benivenio longe cedit:

Videtis igitur cum hæc omnia habeatis eo stadio non bubones, non testes tumidos, non Gonorrhœam &c apparuisse; adeoque eo tempore non fuit, qualis nunc est morbus, et hæc ratio, cur medicamenta, quibus in America curatur, hic non curant: hoc autem quod jam dixi, accidit inter primum hujus morbi septennium:

Nobilissimus Germanus, adeo notus, Ulricus Huttenius, tam arte militari, quam Palladia clarus, dum nobis commentatus fuit proprias suas miserias, notavit post primum septennium valde mutatum fuisse hujus morbi genium, et quod cum primo septennio à nullo fere ortu diffuderit se per Italiam, Gallias, Hispaniam, Lusitaniam, plurimas Germaniæ partes, Pannoniam &c: usque ad ultimos Scythas, dein ipsi frænum quasi injectum sit.

In descriptione data, intellexistis sollicitissimum hunc Authorem non dixisse, mares aut fæminas ullum Gonorrhœæ signum habuisse toto illo septennio: hoc enim symptoma tale est, quale nunquam simile visum fuit, nam longe alia erant antiqua Gonorrhœa, à qua certe omne contagium aberat: si igitur talis Gonorrhœa nota fuisset, non aufugisset sane illum

Authorem

De Lue venerea.

Authorum; adeoqz ea infectio, quæ nunc fere semper est morbi initium, non fuit illo tempore: nunc sequitur consideranda

Secunda periodus hujus morbi,

Nunquam Anatomicis et Medicis satis laudatus Nicolaus Massa (qui semper vestras debet ornare bibliothecas medicas) scribit in epistola de Lue Venerea ad Amicum, se jam Anno 1524. de industria aperuisse à Lue Venerea mortuorum cadavera, eo animi scopo, ut quam proxime intelligeret, quid haberet mirus ille morbus: hoc enim facit 36 annis post primum ortum morbum accuratissimus hic Author, omnes qui ante omnes qui postea scripsere, superans, nam ut postea videbimus quidquid in Gallia in Montpessulana Academia, quidquid Parisius jactent de novis inventis & arcanis remediis ei jam fuisse notum post demonstrabo usqz ad unguentum Therebinthinæ cum Mercurio.

Ille itaqz historiam hujus morbi condens in tractatu edito Anno 1540. scripsit, postquam jam 24 Annos in hoc morbo cognoscendo curandoque Venetiis et Patavii, quibus locis tum maxime grassabatur, versatus erat. Postquam enim dictator hic scripserat, elapsi erant 46 Anni à morbo primum orto: Omnia ejus opera evolvi, et quæ in iis de Lue Venerea habet ad sex sequentia capita vidi posse reduci.

1mo. inquit Apparent pustulæ diversæ, quod utrumque adhuc hodie obtinet, nam simul moneo, quod si venenum extrinsecus ad cutim applicatum fuerit, aliæ pustulæ oriantur, quam ubi tenuissimo halitu intra corpus penetrans postea se diffudit: Sic verbi gratia si scorti impuri tabus venereus attingit calidam cutim veretri hominis sanissimi, et hæc crassa materies hic topice hærens faciat pustulas, tum pustulæ sunt aliæ, quam si, ut Benivenius scribit malum primo ad ossa hærens quasi ebulliens per arterias demum sub cutim veniens, pustulas fecerit; nam tunc primo magnum tuber & aliæ infectiones cutaneæ, ut phlegmone, ulcera &c. oriuntur:

2do. Oriebantur dolores membrorum: Videtis hinc dolores membrorum citissime tunc apparuisse: hodie illi dolores post toleratum morbum, intra Annum vix apparent et raro nisi ægri penitus se neglexerint: hodie oriuntur dolores post ulcera, sed tum semper post hos dolores pustulæ veniebant, apostemata tum etiam et ulcera solebant oriri.

3tio. Consumebantur multi hoc morbo, qui nil mali circa genitalia passi erant: inprimis autem infantes sine ulla pudendorum labe, ~~toties~~ interiere hoc morbo. Tum et amicus mihi, inquit, dormiens in lecto, in quo quis cum ulceribus venereis cubaverat, contraxit luem ad exteriora et interiora.

4to. dolor capitis et membrorum ad ossa sæpe ante pustulas procedentes. ille dolor dicit quandoque se remittit pustulis se manifestantibus: Hoc hodie nunquam vidi, nam post dolores nocturnos nullæ pustulæ apparent; sed oriuntur primo tumores

gummosi

De lue venerea.

gummosi, dein tophosi et tandem ossei, et quo altius insurgunt illi nodi, eo dolores nocturni fiunt intolerabiliores.

5to describit Ulcera sensim profunde serpentia, sordida virulenta cum labiis sordidis, duris, rebellio ad omnia remedia (tunc nota) persistentia et progredientia: verum ad partes corporis callosis oriebantur Ragades, id est rimae seu fissulae ad pedum plantas manuumque volas profundae et siccae, ad incredibilem profunditatem vidi has summo incommodo; tales autem partes occupabant, ubi durus labor partes unctuosas dissipaverat:

6to. dicit Praeter binos dolores prius recitatos fiebant dolores nocturni ab occasu solis usque in Aurorram desinentes: qui haerebant in ossibus et inde tophi, exostoses, suppurationes, corrosiones et tandem ipsorum ossium caries oriebantur:

Hic desinit Nicolaus Massa.

In hac historia nunc iterum nullum vestigium aut indicium Gonorrhaeae: scimus tunc jam 46 Annos praeterlapsos fuisse, post primum mali ortum: nusquam meminit de destillatione materiae unctuosae ex abinguine in viris, quae inflammationem priapismum crearet, nec de defluxione inferiorum partium in mulieribus, ne verbum quidem

Ergo in hoc stadio, videtur malum recens delatum, hanc naturam habuisse, ut intactis exterioribus, se semper altius per totum corpus diffunderet; prius enim infecti, nil sentiebant praeter melancholiam, tristitiam &c: seddein etiam oriebantur pustulae, quae variolas mentiebantur et desinebant in ulcera, haecque erat tum facies Luis Venereae:

Nunc sequitur agendum:

De Tertio Stadio Luis Venereae.

Antonius Musa Brassavolus magnus ille Hippocratis et Galeni commentator, Vir quo vix quis doctior et veterum scriptorum magis peritus, primus fuit, qui tertium hoc morbi stadium descripsit: erat discipulus Leoniceni, qui secundus est, quantum scio, qui de Lue Venerea scripsit, sed brevius tantum de ea agit: Verum cum hunc morbum ad Lepram Arabum reducere vellet, multa habet falsa, eo enim omnia symptomata reduxit; alia vera sunt ex Benivenio.

Hujus igitur discipulus Antonius Musa Brassavolus, Anno 1534. Ferrariae scripsit de Lue Venerea, magnus ille medicus dicit, Leonicenus praeceptor meus de Lue Venerea suo tempore bene scripsit, sed alia dein se immiscuere huic morbo, sed dicit Anno 1532. scribens a 26 annis alia morbi apparuere symptomata, adeoque anno 1508. hoc malum sic se mutare debuit: haec habet,

1mo Dicit Omnia quae priores scripsere, manserunt eadem, sed admiscuere se praeterea quinque nova.

A. Calvities, seu defluvium spontaneum capillorum, in capite superciliis palpebris, barba et reliquis partibus pilosis horrenda faeditate, sed nil in iis faedius erat, quam quod palpebrarum capilli defluebant: hoc non habent priores.

B Lapsus

de Lue venerea.

B. Lapsus dentium, odontagra in omnium dentium corruptionem desinente: primi jam dixerant, ossa corrumpi, sed dentes sunt ossa omnium maxime aëri et cæteris injuriis exposita: non vero notaverant ante dentes corrumpi, sed quod quando veteres legitis, videbitis quod dixerint, argentum vivum ita labefactasse dentes, ut excuterentur ex alveolis, imo notum est in fodinis mercurialibus omnes dentes fossoribus excidere, tam infestus est dentibus mercurius, hoc ultimum tamen erat ante tempora Benivenii, prius non.

C. Paronyxis seu lapsus unguium de manuum pedumque digitis.

D. Jactura oculorum: quod dicit fuisse rarissimum hoc tempore symptoma: hoc quoque vidi, sed tum semper præcessit maligna diathesis ossiculorum spongiosorum nasi, unde his corruptis hoc morbo, visus perit: Quando scilicet venenum venereum per inspirationem membranæ Schneiderianæ se insinuat, tum cum hoc os spongiosum cum osse unguis ad orbitam concrescat, et cum osse plano, caries os spongiosum occupans, hæc ossa tenuissima corrodit, unde tabes semper pervenit ad pinguedinem mollem oculis undique adjacentem, et semel hoc malum hic manifestatum et dispersum cum est, oritur pessimum ulcus venereum tabidum, per ambitum oculi in illa pinguedine, quod primum apparet, ubi emungunt materiam purulentam, et oculi incipiunt sponte lacrymari, tum enim obstruitur canalis nasalis, et tandem oculus totus consumitur et cadit.

E. Dicit. Oriebatur hoc nostro tempore Gonorrhæa, quam describit, qualis hodie adhuc est: hic prima mentio fit Gonorrhææ, tam in maribus quam in feminis, quæ Gonorrhæa semper mansit: Erat tum tamen fere semper simul cum Lue Venerea: sed hodie bono nostri seculi Gonorrhæa quando est, non est morbus venereus, et quando venereus morbus, non est Gonorrhæa; sunt quidem quædam exempla rarissima, sed tum ante infecti erant Lue Venerea, quum illam Gonorrhæam ex alio coitu accipiebant. Vide Aphrodisiaci paginam 159.

Mutata ergo fuit idea morbi, Gonorrhæa tum accedens, multum mitigavit hunc morbum.

Post hunc nobilem auctorem permansit Gonorrhæa ad hic hodie, sed tamen cum illa differentia, quod nunc rarissime oriatur Gonorrhæa simul cum Lue, tum autem fere semper Gonorrhæa cum ipsa Lue Venerea conjungebatur; nam hodie causa mali redacta eo est, ut applicet malum ei loco, quem virus attingit, rarissimis casibus exceptis, nam homo Gonorrhæa laborans, si radicitus curatur, ab omni labe Venerea liber evadit.

Gabriel Fallopius, qui scripsit de Lue Venerea eruditissime, et Patavii et Venetiis, ubi Anatomen docuit et Medicinam exercuit, maximam habuit occasionem morbum hunc cognoscendi, supputavit tempora et dicit quod Anno sexagesimo quinto (Anno non 55to) post ortum Luis in Europa, ei demum Gonorrhæa accesserit. Vide Aphrodisiaci pagin: 780.

Ex his omnibus inter se comparatis, patet morbum hunc dividi debere in duas species

1ma est Antiqua Lues sine Gonorrhæa in mare & fœmina.

2da recentior est Lues, ut hodie observatur, vel cum Gonorrhæa vel post hanc, id est, cum post Gonorrhæam à causa externa acceptam, Lues oriatur.

Nunc,

De Lue Venerea.

§ Nunc Antiqua iterum gemina censenda videtur, scilicet antiqua Lues absque gonorrhaa vel fuit nata cum infectione in partibus exterioribus corporis ad loca primum attacta, quæ est prima ejus species, talem autem distinctionem requirunt nuper dicta; Lues fœdissima sæpe, quidem orta absque signo extrinsecus apparente, ea tamen lege, ut semper prius manifestasset se locus in corpore externus, quæ species ideo magis attendenda, quia hodie adhuc durat. Altera species antiqua Luis est, quæ sine ullo indicio partis attactæ manifestabat se ab interioribus extrorsum; in hac specie postquam contagium erat receptum, nil apparebat, sed prima indicia erant tristitiæ dolores, pustulæ instar variolarum ab intima diathesi mutatæ: variolarum autem vulgarium venenum, suscipitur plerumque ut credimus ore cum saliva, deglutitum in velo symptomata quædam excitat, dein febris incenditur, qua per totum corpus diffunditur venenum, et inde tum pustulæ excitantur eodem modo ab interioribus ad exteriora se manifestabat hæc luis species; nam 1mo oriebantur tristitiæ et dolores, dein vero stigmata et ulcera, et his natis levabantur dolores. hæc species fuit semper omnium sævissima, et horrendissima omnium specierum, quæ visæ sunt; summopere enim erat consumens, depascens et pessime ulcerosa.

§ Prima species Luis Venereæ.

§ Aggredior nunc primam speciem, cujus cognitio facit ad hodiernam cognoscendam et curandam Luem.

Cum hic ipsum morbum, per sua phenomena describam, operam dedi, ut quidquid observaverim et notaverim, et quidquid apud bonos auctores habeatur, accuratissime in ordinem reduxerim.

Primo dicam de ea specie, quæ oritur externe in partibus sensibus conspicuis, et quæ manibus tractari possunt, sed et in eo casu considerabo, ubi exterius contagium fecerit primum vestigium.

Primo igitur enarrabo tunc casum, quando corpori puro applicatur contagium venereum, ad locum conspicuum quod tunc oriatur.

Dum in his sic versor, et nihil omitturus sum, patebunt vobis simul mali cognitio et curatio, nam omnes, forte solo Thoma Sydenhamo excepto, scripsere de Lue has distinctiones non observantes.

§ In casu itaque definito in partibus cute tectis consideranda sunt.

A. § Pustula, de hac notandum,

a. quod semper omnium primum (in casu scilicet definito) aliquid mutatum deprehenditur in loco infecto in corpore cæterum puro, per applicationem veneni, fit hæc pustula, idest minimum tuberculi genus, vix eminens extra cutim: Examinavi plures casus & sic semper inveni.

b. hæc pustula semper primo parva est, licet morbus futurus satis pessimus sit pulicis vel apis morsum referat; non semper hæc pustula est unica, sed sæpe duæ pluresve apparent.

c. Hæc pustula semper est rubra in initio atque perfecta speciem inflammatiunculæ vel phlegmones refert. Sine Clari.

§ Sydenhamus dicit, se nil de natura hujus morbi scire, sed quod omnis effectus sit, qui quam proxime refertur ad phlogosin: quod ergo huic observationi meæ convenit.)

Ad hæc

De Lue Venerea.

A. d. Haec pustula refert perfecte stigma variolosum. Homo omnium primo in facie accipit parva puncta rubra, neutiquam elevata, simillima pustulis variolosis quando variolae erumpunt.

e. tunc pruritus est primum huic symptoma fere ut in scabie.

f. tum fit pustula squamosa, id est, epidermis elevata papilulum supra stigma hoc rubrum, facit speciem squamulae.

g. Quando morbus est levis, tum humor sub hac squamula haeret, sed ubi malignus est nullus sub ea haeret, et maculae tunc apparent flavae.

h. Post elevationem epidermidis incipit dolere, dolore molestissimo, perpetuo lancinante, instar canis mordentis.

i. Consumit subjectam cutim in latum, nunquam fere in profundum tendit, quae est summa differentia cum aliis pustulis.

k. Tum lex panniculum adiposum se diffundit, haec pustula postquam exedit cutim et hinc ambesus cutis margo, simul se retrotrahit, atque in cute foramen apparet, nunquam aliter, quae est prima idea hujus morbi.

l. tum ubi se diffundit in membrana pinguedinosa manet semper planum hoc ulcus, non elevatur, hoc verum in locis (de quo casu hic tantum etiam ago) ubi cutis est.

m. Simulac epidermis in squamam elevata est, si locus destitutus est vasis celerrimum motum habentibus, semper bullula limpida crystallina apparet, unde à Chirurgis Crystallus vocatur; hoc autem ubi cutis adest non apparet sed in locis cute destitutis, ut in glande penis, labiis, &c.

B. Materies quae exesa cute funditur.

Haec.

1mo. Est semper spissa, instar cremoris lactis recentis.

2do. Si est omnium pessimum ulcus, saniosa fit, si vero sanguinolenta fit, tum veteres dicebant incurabilem esse morbum, et Sydenhamus quoque tunc fere desperatum casum esse pronuntiat.

3^tio^. Naturalis nunc haec materies, non facile aqua miscibilis, superficie sua pinguedinem fusam referens, penitus est mollis, id est non ducitur in filamenta, ut naturales nostri humores nutritii, sed diffluit, ut oleum semifusum, semicoactum, ac si sebum candelarum incipiens fundi videres.

B. 4to. Semper

De Lue Venerea.

B. 4to. Semper **Alba** est, sed albedo tunc singularis est, nam aliquid flavedinis licet valde latentis habet, ita ut periti facile distinguant.

5to. In aëre flavescit (quod naturaliter nunquam facit pus nunquam Chylus vel Lac) et quando penitus exsiccatur, aut magis **flavescit**, aut **Viridescit**, et Rigiditatem Lintëis, in quibus exsiccata fuit, conciliat.

6to. primi Auctores scribunt hanc materiam **fœtidam** semper esse, sed hoc hodie verum non est.

C. **Limbi pustulæ**. Hi limbi zonæ vel margines, postquam peresa est cutis, sunt plerumque

α. **Albi**, nec magna inflammatio adest.

β. Semper **Constricti**, et quasi densati, id est non tumens, non apparent spongiosi sed plani et quasi corpore premente essent politi.

γ. Sunt quasi ac si instrumento versus centrum essent abscissi (in iis ulceribus, ubi ab interioribus sursum assurgit materies, semper contrarium est γ & β) quia virulentum in medio centro pustulæ jam insinuavit se membranæ cellulosæ sub cute hærenti.

δ. hi margines plerumque vacillant, id est si ad latera ulceris venerii tangis, tum ambiens zona non firma sentitur hærere, sed cutis quasi subfossa movetur, scitis unde hoc fiat, scilicet panniculus adiposus subjectus magis exesus quam cutis est.

ε. Vix sunt vivaci colore, ubi in cæteris ulceribus margines sunt inflammati.

D. **Fundus ulceris venerii**.

a. Est semper **ruberrimus, non exesus, non fœdatus unquam**, quia omnia musculum cuti subjacentem investientia exedit, musculum vero integerrimum naturali suo colore relinquit, quod adhuc obtinet, et ab omni tempore in hoc morbo obtinuit, ut Benivenius, Leonicenus, Massa, Fallopius testantur, et ubi hoc est, semper scitis esse Luem Veneream:
Memini me vidisse in Optimo Viro totum crus à genu ad talum perfecte exesum pessimo tali ulcere, et omnis pars superne exesa, inferius viridissimum musculorum relinquebat colorem, licet malum per annos duraret omnia exedens.

b. est plerumque **planus, nunquam inæqualis** nisi forte illud naturaliter per situm musculi accidat:

c. nunquam est profundus, semper tantum etiam usque ad musculorum superficiem.

Hæc est genuina et quantum fieri possit, vivida descripta idea mali, sed mali sic orti.

Accedit nunc his omnibus unum signum externum, scilicet, Contumacia

§ 32.

De Lue Venerea.

E. Contumacia summa curationis, quod sic est intelligendum, quamdiu aliquid membranæ pinguetudinosæ hæret, sed aliquid in initio morbi si sumis quod una vice totam pinguedinem simul consumit, ubi margines nondum infecti fuint, una vice curabis; verum si non hac ratione una vice corruptam partem membranæ adiposæ absumis, et si quam minimum pinguedinis corruptæ remanserit, malum proserpit ad latera, et ibi eadem mala creabit: et in hoc solo consistit tota contumacia. Quod autem dicant, solum hunc morbum cedere argento vivo, vel medicamentis inde paratis, hoc falsum est; nam si ferrum ignitum aut oleum vitrioli bis vel ter admoveam, et hunc locum exuram, certissime curabo; si lapidem infernalem spiritum nitri, spiritum salis applicem, curabo; verum si solum mercurium adhibeo, non curo; sed si mercurium præcipitatum album et rubrum applico, fiet certissima curatio, quod non facit ratione mercurii, sed ratione spiritus nitri ei adhærentis; et tum est species lapidis infernalis nam corrodit, quod non facit solus mercurius: non aliis cedit optimis medicamentis mundantibus, ut sunt Aloë, Myrrha, vel unguentum Ægyptiacum alias adeo famosum.

Nunc primum stadium mali intelligitis, et videtis ergo illico hoc malum, quando proserpit, creare Luem Veneream.

In hoc autem morbi stadio notamus adhuc, quod ut dicunt etiam citata veterum monumenta, malum semel sic ortum nunquam dein transeat in intimum corporis, sed propaget se per membranam pinguedinosam, loco ubi cutis est penetrata, subjectam; et quod si medicus tum non prudens sit, nec omnem ulcusculi materiam extraxeris, proserpat sub pinguedine, et novæ oriantur pustulæ, & sic tum in toto corpore fiat, quod hodie etiam adhuc obtinere scimus, nec in ullo alio morbo videtur, nisi quod commune quid habeat cum Lue venerea, ut in Rachitide.

Panniculus autem adiposus et cutis ita semel exesa, nunquam reficiuntur, licet pulchre instituatur cura, sed cavitas semper remanet, et materia quædam est perdita:

Cutis enim constat nervis arteriis et venis, quæ nunquam recrescunt sed faciunt cicatricem fortuito coalitu vasorum lateralium, quæ loca dein nunquam sudant aut perspirant: hinc videtis dum Lues Venerea semper sic depascatur cutim et totam cellulosam membranam, quod hinc oriantur semper cicatrices cavæ solidæ et rigiditatem inducentes parti: hominem vidi per annos talibus ulceribus vexatum, tandemque curatum, sed cicatrices totum corpus occupaverant, unde corpus fœdissimum apparebat illis cicatricibus, sed nihil mali ad ossa pervenerat:

Curatio autem hujus mali in eo consistit, ut virus de corpore penitus separetur.

Nulla pars corporis est, ad quam hoc virus non pertingat: vidi hominem, in quo totus panniculus adiposus, et tota cutis faciei ita erant exesa, ut levis pellicula tantum esset supra musculos nata, unde facies tota in rugas attollebatur, si homo aut ridebat aut loquebatur:

Hæc jam est facies Luis, quæ à causa externa in loco panniculo adiposo et cute tecto, externoque imprimitur.

Si nunc ulcus tale ortum fuit, et mercurio præcipitato, aut lapide infernali constrinxeris, et reliqueris tantum aliquod seminale contagium sub

pinguedine

pinguedine, hoc malum longe sævius sub illa crusta cruciabit, quam si ulcus mansisset:

Si nunc talis pustula Venerea occupat partem carentem musculis et panniculo adiposo, aliud quid oritur, quod est mali antiqui et hodierni consideratio secunda, ad quam nunc nobis accedendum est.

Secunda Species Luis Venereæ.

Ubicunque in corpore sunt musculi valide agentes, ibi panniculus adest adiposus, multo oleo præditus: ubi autem in corpore non sunt musculi, aut tantum parvi, in iis tanto minor copia adipis; in iis locis, ubi non nisi fibræ musculares sunt, ibi panniculus adiposus non adest, sed tantum ejus quasi imago: ubi autem nullus est musculus, non est pinguedo apparens, sed humor longe tenuior. (excipietis forte ossa, sed hæc habent tamen suum singulare oleum, scilicet medullam.)

Musculi omnes subjacent partibus exterioribus, epidermidi, cuti et panniculo adiposo: hinc ubi in corpore sunt plurimi musculi, ut in pectore, abdomine, ad nates, ad femora &c. etiam ibi magna invenitur pinguedinis copia: sed ubi nullus est musculus, ut ad penem, ibi nulla est pinguedo, sed flaccida membrana cellulosa.

Tripliciter ergo materiam hanc dispescimus: 1mo in pinguedinosam 2do in mucilaginosam, quæ est circa tendines, 3^{tio} in cellulosam Ruyschii.

In quibus jam partibus musculi non sunt, non deprehenditur ibi adeps, sed in quibusdam est mucilaginosa, in quibusdam cellulosa membrana: pinguedinosa, ut scitis, quando adipe plena, apparet corpus unum densum: membrana mucilaginosa videtur nil habere, sed si inflammatur tum densa apparet, sine affuso, sed cellulosa solo flatu impletur, ut ad scrotum, et inter duo corpora cavernosa penis.

Differentia nunc veneni Venerei, quando occupat loca cute et musculis carentia, oritur 1mo. inde, quia ibi est membrana cellulosa non adiposa, in qua est liquor quidem pinguis, sed non ita ut solidus apparere possit, sed facilius dilatabilis, et hinc per materiam inflammatoriam immense increscit; hinc ad penem si ulcus per epithelion penetravit, videmus quam horrenda mala producat, uti in priapismo apparet: sed ubi cutis est, hoc non fit; hinc materies, quæ in hac membrana est, est plus tendens in naturam lymphæ vel aquæ, et hac de causa raro malum tam diu ibi hæret:

Secunda Differentia est, quod membrana hæc non faciat ulcera proserpentia sub integumentis, sed contineatur intra suos limites: si oritur ulcusculum ad penem, ubi cutis non adest, nunquam proserpere illud videbis, quia scilicet ibi non est membrana adiposa aut cutis, quod tamen fit in alio penis loco cute tecto, tum enim in dorsum penis proserpit: hinc videmus, quod in omnibus his malis oriatur zona callosa circa hæc ulcera.

Tertia quæ hic contingit, est, quod hic oriantur ulcera profundissima et spongiosa: membrana cellulosa Ruyschii circumstipata est vasis: nullum vas in corpore humano deprehenditur arteriosum, venosum, tendinosum, aut nervosum, quin tegatur vagina cellulosa: hinc si ad locum talem primum nascitur erosio, quoniam ibi tantum vasa, in ea se insinuat, et sic cum vasis altius penetrat: hoc videmus clare in ulceribus penis, fiunt ea semper spongiosa, in tumorem fungosum elata: vasa enim ibi sunt infinita, singulorumque superficies tecta est tunica cellulosa; ergo potest malum se inter vas et vas interponere, et sic totus locus fungosus fieri,

uti

De Lue Venerea

uti ad glandem penis patet: cum etiam in reliquis partibus corporis cute tectis ulcera coërceantur inter cutim et musculos, hinc ibi non adeo tumentia sunt; sed per cutim apertam plurimum mali exit, unde hic tanta tumefactio apparet.

4to. In iis partibus sunt imprimis nervorum extremitates, papillæ: has scitis apparere, quando Anatomici successu fortunatissimo arterias subcutaneas omnes implent materia ceracea, ubi plurimi nervi sunt, ut in glande penis, labiis mulieris virig. papillis, lingua faucibus &c. et tunc illa pars ponatur in aqua tepida per aliquot dies, tunc epidermis incipit putrescere et liberari à vinculis illarum papillarum, quæ ubi desquammata est, hæ solæ apparent: has esse papillas negat magnus hujus ævi Anatomicus, quia microscopio conspectis his corporibus apparent minima vasa impleta ceracea materia intima autem pars alba est: sed si ideo non essent nervi, nullus esset nervus in corpore, nam omnes per vaginam vasculosam transeunt, ut patet, si impleantur capitis nervi:

Hoc posito, dico: Quarta ratio, cur in iis alia mala sunt, nervorum extremitates sunt papillosæ: hæ omnes sunt intra thecas à materia cellulosa; sed hæ thecæ sunt omnium tenerrimæ; per has fluit liquidum tenuissimum et non visibile nisi per morbos (scitis quomodo nervi in brachiis per pinguedinem transeant, idem et hic fit.) evenit hinc ut si ad has partes oriatur malum, tunc virus sæpe seminat juxta seriem horum integumentorum, et relinquit nervos, sed plane nudos, unde oriuntur ulcera longe alterius generis, scilicet dolentissima.

Quæsitum semper fuit quam maxime, quæ distinctio inter ulcera reliquarum partium & cancrosa. In cancro autem est ulcus nervosum in cæteris glandulosum aut panniculi adiposi: ergo hæc ulcera 1mo horrende dolent, 2do sunt verrucosa: videte totam Luem, nullas verrucas invenietis, nisi ubi sunt nervi plurimi, ut ad caput penis, labia &c: sed quid verrucæ? simulac nervi depositi sunt, tunc illæ fistulæ integumentorum dilatantur, degenerant à liquido adfuso, et sic in cancrum it ulcus: Cum hoc fit circa penis coronam, tunc tota corona ulcere sic fœdatur, ut moveri non possit præputium, tantæ adsunt verrucæ, hinc asperrima ulcera: ergo ulcera hic nata semper sunt minora, quam in aliis partibus, profundiora vero, spongiosiora, et proserpentia magis.

5to. Omnes illæ partes, quæ cute carent, et panniculo adiposo destitutæ solent musculis actuosis, quod in toto corpore observatur: Musculi autem sunt organa, quæ perpetua contractione et laxatione repellunt à se quam maxime omnes humores, et proin ad tunicam suam investientem cellulosam omnia adigunt, quæ causa est, ut morbus sistatur ad musculos, quod patebit ubi eo perventum erit: Meis oculis vidi juvenem adfectum pessimo hoc mali genere, depasta erat Lues omnem fere pinguedinem exteriorem corporis, sic ut viderem nudos tergi musculos carneos, atq. in iis in parte torosa, nil mali hærebat, nisi tantum quod omnis pinguedo abesset: Memini me in prima periodo morbi notare ex antiquis scriptoribus esse universalem observationem, quod musculi semper manserint rubri optime constituti: hinc cum partes in quibus nunc observatur malum, nullos habeant musculos, nulla vis impediens malum Venereum;

ergo

De Lue Venerea.

ergo alia debent esse symptomata, ubi partes occupat spongiosas, ut penem: ergo musculi naturaliter huc usque sunt ab hoc malo immunes.

Tertia Species Luis Venereæ.

Notabilis ergo est differentia, quando curatis hominem in parte musculosa laborantem, spes est, ad musculos sistendum fore malum; et tunc tantum ad latera debemus impedire, ne malum proserpat, sed ubi nulli musculi sunt, ibi nullus finis calamitatis.

Verum omnes hæ partes carentes cute, panniculo adiposo et musculis subpositis, sunt fere periosteo contiguæ, quæ est tertia morbi species: Qui de ea scripsere hic multum decipiunt, unde summæ calamitates, omissa hac distinctione ortæ sunt.

1º. Illæ partes sunt periosteo contiguæ, quod obtinet in naribus, ibi enim intrinsecus nullus musculus præter exilissimos Eustachii et Santorini; verum membrana narium interna tota quanta vasculosa fere est, arteriis, venis, cryptisque mucilaginosis constans: in sinibus mucosis similis est constructionis membrana, quæ ossibus incumbit sine ulla pinguedine, ulla cute interposita: hinc in nulla parte malum terribilius quam hic, nam simulac ad has partes pervenit et tantum per crassitiem humani unguis iniit, illico os nudum. hoc autem os vasa ab illa membrana habet, et est admodum tenue, hinc vasis exesis, mortuum jacet os. Idem obtinet in faucibus: scitis quod velum pendulum palatinum cohæreat tantum parti posticæ palati, tegitur simplici membrana, habet sex vel septem musculos sibi insertos, reliquum nihil est, quam congeries cryptarum mucilaginosarum et tenuis pinguedo. Si hoc jam consideratis nectitur cum periosteo palati, nullo apposito musculo defendente: quoties vidi, ab hoc velo affecto os palati infectum, ut caderet horrendo mali genere! ex Anatomicis hoc clarum est, quod ab inferiori et superiori periosteo palati fiat hæc membrana; est ergo productio periostei: ergo malum in velo existens eo vergit:

Faucium alia pars constituitur à tonsillis lateraliter; sed quid hæ sunt? dicunt vulgo glandulas esse: sed in toto corpore non mirabilior fabrica, quam hic est: solvitur enim hic membrana faucium in cellulas et papillas, in quibus cava muco plena, qui pressis faucibus exit; unde ibi sæpe magnæ inflammationes, etiam absque Lue Venerea de quibus consulere potestis Aretæum Cappadocem de morbis faucium, qui dicit, fœtorem hic tantum posse oriri, ut homines inde moriantur; et hoc in morbis vulgatis cum fiat, quid putetis fieri in Lue Venerea? vidi Virum Amplissimum, qui ex his affectis fœtorem tantum habebat, ut diceret, se, ni virtute impediretur, se ipsum potius interfecturum, quam talem fœtorem diutius perpessurum.

Fauces adhuc habent membranam, quæ subcingit à parte posteriori corpora vertebrarum cervicis: verum ea membrana non habet in toto corpore sibi similem: videte figuram Valsalvæ et Morgagni: hæc est tota plena cryptis mucilaginosis, et interim cohæret aversa superficie periosteo vertebrarum sine ullis interpositis musculis, qui tantum ad latera sunt: Quando tractavi ægros, qui hic habebant ulcera, semper sine fortuna non curavi: nam in egregio Juvene vidi, quod exesis his partibus ossa vertebrarum colli apparuerint, unde etiam fuit mortuus: intelligitis ergo, has partes non tantum debere considerari respectu habito ad solam Luem Veneream

sed

de Lue venerea.

Sed etiam contemplandum partium, quas afficit Lues statum; ubi enim Lues in brachio, non nocebit, nocebit sane in faucibus.

Quarta Species Luis Venereæ.

2° Sequitur 2da classis earum partium, quæ incumbunt membranæ cellulosæ, vel mucilaginosæ (nam quomodo vocabo?) ut imprimis in mulieribus fit, (Medicus hic loquor Medicis, Castus Castis) scitis igitur cutim humanam desinere perfecte ad ingressum oris vaginæ muliebris, ubi autem desinit, quod fit semipollice intra vaginam, abscinditur quasi, et ibi membrana epidermidi similis, cutem deserens, involvit reliquam partem: huic subjacet membrana quædam, quæ (fateor) ad interiora, ut Valsalva, & Morgagnius, Ruyschius, Santorinus notant, habet musculum sed valde parvum, ut et habet clitoris: reliquum est nil nisi membrana simillima velo pendulo palatino constat enim ex arteriis et venis, inter quas sunt emissaria arteriosa et venosa, imo hic ponuntur emissaria cryptarum mucilaginosarum, tum etiam circa ingressum, imprimis ad urethram sunt plusquam duodecim parvæ glandulæ, cryptæ mucilaginosæ hodie dictæ, quæ ferunt liquorem muco narium simillimum, cujus usus est defendere partes circumpositas ab acredine urinæ:

Mulieres enim ut novistis, ubi urinam emittunt, non recte dimittunt, sed intra Nympharum fissuram ejiciunt: sum sunt etiam emissaria, quae liquidum libidinosum ejaculant, quod partes à calidô attritu defendit: Hic ergo subjacet nec os nec pinguedo, hujusque rei consideratio facit, ut clarè intelligamus, quid in mulierum adfectione sit Gonorrhoea.

3° Hae partes adhaerent membranae valdè dilatabili, mox flaccidae mox intendissimae, ut in pene virili est: unde manifestatur Gonorrhoea virilis: Mirificum hoc organum constat quasi fabrica adeo fungosa, adeo spongiosa, ut eluta ubi sit à sanguine, fere nulla sit, ut vidisti, is praeparatas hab partes: qua ratione solidum id organum cum curâ separatum à musculis, et eluitur ab omni sanguine et inflatur ac exsiccatur, fere nullum pondus habet, estque quasi flatus aëreus: In toto corpore illo nil nisi membranae, et vasa adferentia in haec cava membranacea: destituta influente humore tam nulla fit, ut in senibus et pueris fere nulla fiat: Naturaliter ergo nulla pars facilius destructibilis, nam inflata constat Lamellis chartâ multum tenuioribus: cum ergo haec pars adeo dilatabilis sit, quando illi haec Lues adplicatur, oritur alia certè species, et sine morbus hic Venereus ab omni alio diversus: Laboret v: gr: quis antiqua Lue, per imprudentiam adquirat nunc Gonorrhoeam recentem: docent observationes, illam antiquam radicitus argento vivo curari posse, sed Gonorrhoea tota manebit, quae est nil nisi ulcus in hac parte fungosa conceptum, quod hic subsistit, cum tamen in alio loco pustulae argento vivo demi possint: Cum autem in papilla maris et foeminae, in partibus clitoridi adjacentibus in Orgasmo Venereo inflatis eadem sit fabrica, hinc fit, ut eadem hinc sint ac in pene virili, mala: Vercellonius dicit, se vidisse in muliere scorta publici

De Lue Venerea.

publici prostibuli ulcus circa clitoridem haesisse, et ad superiora ossis pubis proserpsisse, totamque pinguedinem montis Veneris consumsisse. Ad eas igitur partes, quae peni virili structura similes sunt, oritur hoc mali genus.

In his itaque fit mira Inflammatio et ulcerum Conditio: cum enim in caeteris partibus non sint magnae inanitates, facit vis vitae separationem: hic autem nulla fit: Quid est separatio in Chirurgicis? haec in cadavere nunquam fit: est autem, quando vis vitae arteriosos succos ad Loca illa defert, et tantum motum facit, ut adfusione liquidi mortua vasa secedant à vivis, quae suppuratione solvit, quod nullus Chirurgus ulla arte potest efficere.

In cellulis horum loculorum si nunc oritur malum Venereum, haeret quasi in parte mortua: ubi jam in eas infunditur sanguis in aestu Venereo, tum is eas dilatat et quodammodo dilacerat, Quae ratio est, cur his partibus difficillime instituatur curatio, nisi penitus possit eradicari. Nunc vidistis quare fere nunquam afficiatur penis in membrana magna Ruyschiana succingente corpora spongiosa; est membrana fortis admodum, quae magna vi in Priapismo patitur extendi cum summo renixu; eaque laesa oritur hernia penis, quia spongiosa substantia tum fit Luxuriosa: Hinc haec haec pars crassissima habet partes fortes, quibus se defendit, ne exedatur à Lue.

Hinc etiam oritur morbus ille, qui Chorda tensa audit, qui est cum substantia cavernosa penis tumescat et extendatur, quod praecipue fit ubi hi homines in lectum se recipiunt; simulac enim calescant, statim ejulant et clamant, sibi membrum illud in proelo quasi comprimi. Si nunc peresa fuerit haec pars, tum ad magna vasa est perventum, et tum oritur lethalis haemorrhagia, quae sisti non potest, Nisi in Urethram immittatur Catheter, et sic arteria supra ipsum ligaturâ constringatur: En ante morbum praemittenda absolvi.

Credo igitur vos intellecturos, differentiam Loci facere mala diversa horrenda ex natura Loci: unde concludimus, quod commune est, quod Venenum Venereum sit subtile: meministis, me recitasse generalia morbi ab ortu usque ad haec tempora: in tota autem hac serie consistit hoc, quod venenum ejus sit subtile: Venenum autem vocamus id, quod adplicatum corpori humano vivo humores sic mutat, ut inde atroces morbi vel ipsa mors oriantur: Hinc Luis Venereae materia est subtilis venenosa, quia concubitu adcubitu, exhalatione possit propagari.

Hanc autem habet proprietatem, hoc Venenum habet, ut nunquam sanguinem adficiat, et si adfecerit non sentiatur: in Lue enim antiqua tantum post dolores fiebant ulcera, et nil mutationis in sanguine: Forte autem per diaphoresin de sanguine iterum exit, quod in calidis Regionibus probabile est; sed quando parti unde excludi non potest communicatur, tum facit morbum, quae pars quo tenacior, eo pejor erit morbus.

Nunc

de Lue Venerea.

De Gonorrhaea Virulenta in Viris.

Nunc illa mala proponam in cognoscendo et curando hoc morbo certa, quae singulare totum malum constituere solent. Primo omnium dicam de Gonorrhaea, & quidem prius de virili, dicturus primò de illa Gonorrhaea quae prima vice videtur viro accidere: haec enim distinctio ob vitandam titubationem admodum est necessaria: nam vulgo quidem aegri solent putare, quod secunda tertia &c: Gonorrhaea sit eadem, quae prima; sed maximè differunt, ut observationibus didici: nam quae principio puro corpori primo concipitur multum differt à sexta, septima &c: ubi v. gr: Vir absolutè sanus prima vice suae vitae accipit talem Gonorrhaeam omnium simplicissimam, si ad singulas partes illa applicatur sit composita.

Virulenta autem dicitur Gonorrhaea: nam quandoque destillat abinguine humor quidam, qui non adficit alium hominem, nec saevas inflammationes, exulcerationes, excoriationes et dolores facit: hinc distinguitur inter mitem et virulentam, quia haec omnia illa producit mala, quae illa non ita — De hac autem primo agimus, quia in Lue Venerea curandâ hoc est primum omnium Symptoma: postquam enim mutata morbi antiqua idea est, inter centenos casus saltem nonaginta sex hoc signum habent primum: intercurrunt tamen rarissimi casus, ubi nullo signo exteriori praegresso corpus internum adficitur: Tum etiam, quia est sensibus conspicuus morbus: Diu enim intento animo Luem Veneream examinavi, et gavisus fui tectum morbi genium semper prospicere et discere ex iis casibus, ubi Gonorrhaea erat; nam Gonorrhaea prima nunquam est ad profunditatem articuli digiti minoris intra colem. Hinc cum hoc sit primum Symptoma Luis Veneraeae sensibus conspicuum, de ea certi esse debemus, et possumus, quia tota ejus materia examinari potest, et ulcus extrinsecus in cute adparens idem est, ac ulcus internum —.

Praeservat hodie homines à Lue: Hoc jam dixere qui eam primi observavère, quod scilicet comitas mitescentis mali se in eo prius ostenderit, ubi generabatur hic liquor auferens mala à Lue Venerea in corpore orta.

Qui ergo eam hic descriptam curat, hominem curat à Lue: hoc hodie est certissimum, quamquam multi medici aliter sentiant, sed ego nunquam vidi, quod si corpus prima vice adficeretur Gonorrhaea vera sine spurcitie aliis partibus communicata, unquam inciderit in aliud Symptoma Luis Venereae, ubi rectè sibi caveret. Verum dein

Remediis et methodo singulari curanda est: licet enim in Lue Venerea sint tot Symptomata, nullum tamen ex iis ita ut Gonorrhaea tractandum; hinc ex applicatis ad hoc malum remediis singularibus ratio jubet, ut de ea prima dicamus.

Vocatur Gonorrhaea à γονῆ genitura, et ῥοῆ fluxus, adeoque notat genituraeprofluxum. γονῆ genituram notat sive liquorem illum, qui maribus ad procreationem prodest: Hinc Veteres hoc nomen dedêre, nam putarunt primi auctores, quod oriatur à reclusis ostiis vasorum seminalium, quae patent in Urethra, et hinc genitale profluvium dixère: sed nil minus verum; nam

primò

De Lue venerea.

primò non est ullus mortalium tam foecundus, ut tantum seminis confici
at, quantum à Gonorrhaea destillat, nam vidi saepe tot lintea intra 24
horas inquinata, ut comparari non possit: secundò non venit à vesiculis se,
minalibus, nam, quod statim dicendum, venit tantum ab anteriori parte pe,
nis, quod omnibus exemplis didici: v: gr: homo eâ laborans quiescat tota nocte
(nam aequè dormienti fluit ac vigilanti) evigilet mane, et antequam lotium
reddat, premat penem digitis paulò supra coronam glandis, videbit copio,
sissimè prodire, sed si superius premit ad os v: gr: pubis, ad perinaeum, nil
prodit; nam si homo retrò premit, et prodit materia, tum non habet pri,
mi generis Gonorrhaeam, de qua hic sermo, sed aliam: Hinc certus sum,
quod materia quae in Gonorrhaea simplici fluit, non veniat de loco, ubi
sunt prostatae aut vesiculae seminales, sed tantum ad coronam pe,
nis: vos ipsi data occasione examini hoc subjicite, et verissimum esse
videbitis:

Non est ergo seminalis liquor: sed et aliud argumentum hoc docet, quod
homines, qui hac laborant, tamen tentigine Venerea afficiantur ex bono
semine, ut vix sibi cavere possint à Libidine Venerea, adeoque haec mat,
eria, quae fluit, cum semine nil commune habet: In Gonorrhaea autem
Veterum aegri ad Venerem erant impotentes; adeoque hoc sic patet:
ultimò materia exsiccata hoc docet: semen enim habet colorem, spis,
situdinem certam, ubi exsiccatur, maculas habet distinctissimas à
materia quae fluit in Gonorrhaea; nam haec habet saponis fere fluo,
rem, vel sebi candelae pinguis, exsiccata flavescit vel viridescit, et
ad linteum exarida facta rigescit: Hinc potius non vocaremus Gonor,
rhaeam, sed suppurationem Veneream virulentam partis interioris penis.

Malum hoc sic definitum à principio Lui Venereae non aderat, sed
annos LXXV demum post se manifestavit, quod ex Fallopio, Massa
et aliis supra jam docui: Erat tum longè pejoris naturae morbus quam
postea: dixi enim vobis supra, quomodo Columbus suis triremibus adductam
Luem communicaverit, Neapolitani Gallos, et hi totam fere Europam
infecerint: sic igitur si prosensisset, nihil ab ea fuisset immune: sed
cum antea fere semper perierint homines, postea omnibus, qui gonorrhae,
am accipiebant, fuit mitior: Licet non negemus, pessima superesse à
Gonorrhaea symptomata, sed haec fere ex neglectu proveniunt: nam ubi
eâ laborant principium filii, interim bacchantur, itinera instituunt,
et tunc tam horrenda symptomata oriuntur, quam olim.

1.ª Proprietas Gonorrhaeae est, quod nunquam oriatur, nisi
A. per contagium ab impura muliere. Negativae propositio,
nes verae sunt, nisi contrarium adducat adversarius. Habui tot oc,
casiones, tot curavi homines, qui semper quidem aliquid praeferebant,
sed re examinata semper patuit, quod nunquam nisi à contagio cum
impura muliere fuerit. Quot casus vidi in viris conjugio junctis, qui
dixere ortam à propria uxore menstrua habente, sed examine acriori
instituto falsum inventum fuit. Medici quidem non est haec exqui,
rere, sed tamen nec decipi. Ergo nunquam à muliere menstruata
oritur. Potest quidem, si mulier aestivo tempore menstrua patiatur
ubi calore exagitetur, et tum vir accedat, inflammatio oriri, sed neu,
tiquam Gonorrhaea.

B. Quod si mulier neutiquam infecta sit Lue, imo post et
diu illibata ab ea vivat, infectura tamen sit virum Go,
norrhaea. Omnes hoc notarunt, si mulier de prostituend non infecta
forte

forte infectum admiserit, non illa semper afficitur, sed cum resideat illis locis, id virus de corpore adfecto receptum in ejus corpus non semper transit, sed iis humoribus inhaeret: si nunc vir purus id haerens eo tempore suo membro receperit, potest Gonorrhaea laborare, et si curatus est, mulier inveniri purissima. Debemus ergo in his esse prudentes, nam putaremus virum non posse infici, ubi mulier luem non habet: publicè enim se prostituentes fere semper manent intactae: id in Rheumatismo itidem obtinet: Homini sano membrana Schneideriana ferè sicca est, catharrosa fundit multum liquoris: si igitur aliquid veneni adplicetur, non sic accipitur à catharroso, quam à sicco corpore, in illo enim casu facile extrorsum pellitur: Idem autem et in vulva obtinet; in mulieribus enim albo fluxu laborantibus non facile fit vitium, nam si humores profusi extrorsum venenum statim recipiunt. His ergo positis, nunquam nata fuit Gonorrhoea, nisi duplici hoc modo.

2a. est, quod vario tempore à coitu malum hoc se manifestat. Omnia autem pono pura et ut à coitu nascuntur. Vidi in exemplo certissimo in homine mihi amicissimo, qui solo adtactu sine completo coitu Gonorrhaeam contraxerat, jam se manifestasse secundo die, aliquando autem 3o. 4o. 5o. 14o. et quibusdam septimanis post adparuisse. Sed quo majus temporis intervallum intercesserit, eo pejus malum se habet, difficilius enim tum est curatu.

3o. A. Primum quod sentitur post labem contractam est molestius potius, quam dolens sensus in cole. Hoc omnes experiuntur: rogati quid sentiant, dicunt, arctationem vel compressionem colis esse: quod enim ipsos primum monebat de Gonorrhaea primo initio erat sensus idem, ac si zona coriacea turgens membrum paululum arctasset; quod est primum omnium symptoma.

4o. Sequitur molestus doloris sensus; sed est alterum, quod tunc adparet, est circa testiculos, ubi dicunt se sentire quandam distensionem, ac si à centro conati se extendere impediti essent, vocant rotationis dolorem, et plerumque major minorve tumor persentitur, quod est alterum symptoma.

5o. B. Oritur in glandis superficie quaedam nota. In glandis enim superficie in simplici Gonorrhaea adparet quaedam macula colorem magis rubrum habens; parva est, plana, et refert praecise pulicis morsum, vel morbillum, vel variolam primo tempore inflammationis se manifestantem, caeterum nil mali. Hoc nunquam fit in praeputio; loquor enim de simplici Gonorrhaea.
Sed hoc occurrit in juvenibus, non senibus in Veneris palaestra, et quidem in prima Gonorrhaea; si enim eam jam ter vel quater perpessus sit, in glande nil mutatur: ut nec si praeputium abscissum sit. tum enim etiam haec macula raro adest, sive per aetatem, sive

per

per attritum, sive per artem fuerit ablatum. Sed et nec hi tam facile inficiuntur, quam juvenes et quibus praeputium adest: Gonorrhaea tamen in sene, saevius hoc malum passo, quam in juvene praeputium gerente pejor est, quo enim pars plus resistit, et tamen vincitur, eo malum pejus, et hinc in juvene prima vice patiente facile vincitur, cum in emeritis illis in hoc stadio cursoribus fere incurabile sit malum: hoc videtur certissimum, et est tertium in Gonorrhaea adparens: quod quarto loco apparet, est,

6°. C. dum adparet hac ratione haec pustula, incipitur sentiri molesta distensio major, quam ante, et lentor taediosissimus sentitur. Qui nunquam laborarunt, dicunt, est quasi vermis reperet per urethram; sed dum distenduntur emissaria liquoris, qui mox se manifestabit.

7°. Simulac hoc ortum fuit, coguntur premere penem, quod dum faciunt, tum prima vice

8°. D. Adparet liquor exsiliens, qui est primus gradus verus.

I. Liquor hic est primò albus instar cremoris Lactis, valdè paucus, lentissimè repens, nam integra hora vix una gutta provenit. pressu acceleratur fluxus hujus liquidi. Hinc quo magis prae molestia premunt, eo magis morbum augent: Helmontius Pater benè notat, quod, quo magis catharrosi nasum emungunt, eo difficilius curentur, idem verum in Gonorrhaea.

Ille liquor oritur semper ad partem anteriorem urethrae; nunquam enim in primo hoc morbi gradu exprimi potest ultra ambitum coronae penis, maxima autem copia exprimitur circum illum locum, ubi froenum glandis haeret inferiori parti praeputii adnexum infra urethram: nam, ut scitis, in parte, ubi glans deficit, nihil est, inter partem exteriorem froeni et urethram, nisi membrana vix unguem crassa; ibi magna est crypta mucilaginosa. Rogavi multos hoc morbo affectos, ut accederent ad me, antequam lotium matutinum reddidissent et penem pressissent; hoc ubi fecerant, tum dixi, ut premerent penem supra glandem, tum pressione hac nil poterant exprimere, nisi ad locum definitum cum premerent, de quo vide Cockburnium Morgagnium, Ruyschium.

Liquor ille est spissus; imo majoris spissitudinis quam est cremor Lactis.

est pinguis, quasi vingue oleum esset vel sebum candelarum fusum. Sed monendos vos puto, hoc loco me omnia illâ serie proponere, ut multoties vidi, eadem lege obtinente: sed si quid intermissum est in ipso morbo, tum sane quid deest, quod in perfecta ejus historia adesse debet. Nec credatis velim, me hic odiosum esse, cum summa enim cura et sollicitudine omnia digessi, quae vobis hic enarro.

Liquor hic augetur quotidie copiâ successivè: sic qui initio erat parvus, omni hora fit copiosior, et si genium suum sequitur, nec quid accipit aeger mutans ejus cursum sive ex vitae genere, sive ex medicamentis, tum semper accrescit copia. Hoc autem fit successivô ordine

ordine, magis magisque. Fateor quod stadium quandoque veniat improvisum, ubi magna fluit subito copia, quae post iterum sistitur: sed tum in morbo est aliquid mutatum, vel post saltationem magnam, vel largiores epulas &c.

Tandem terminatur ad talem copiam, quâ major non fit: sed quae tum tam notabilis est, ut intra 24 horas varia lintea contaminet.

II. Liquor hic fit sensim ex albo flavescens: in initio enim antea definitum colorem servat: sed dein incipit divergere in colorem flavescentem; non autem dico flavum: Graeci enim dicerent ωχρολευκον vel ξανθον, atque hoc naturaliter semper observatur.

III. Ex flavescente sensim fit viridis, et decurrit per varios gradus in viriditatem satis magnam. Decurrit ergo ut mucus catharrosus narium; qui enim prima gravedine laborat, sentit tumorem membranae narium, tum stillicidium album et post somnum mucus albus, tum flavescens, et si tum etiam ingravescit morbus, mucus prodit viridis, et est tum in pessimo statu: sic et Gonorrhoea viridis est pessima, sed rediens in flavescentem mitescit, tumque in album, et sic retro in sanitatem.

IV. Liquor hic sensim fit amurcosus, saniosus, fuscus. Amurca est faex olei in dolii fundo haerens, quae apparet, quasi arena pingui oleo interposita, sic et in Gonorrhoea; si enim in eo liquore distinguitur, quid semisolidi, tum Gonorrhoea est amurcosa: sed accedit sanies: id est, acrior, subtilior hinc inde crassae interspersa materies, quae colore differt, et est vel aquosa, vel flavescens, vel viridis, vel fusca: In pessima autem fit fuscus color; semper fere, cum huc usque pervenit, in interioribus quid consumitur, et visum est, licet fortunatissimus sit Medicus, et ad curationem perduxerit, quod semper stillicidium aliquod remanserit incurabile, et fere numquam hoc malum remanebit, nisi materies fusca excernatur: tum enim Cellulosa fabrica corporum spongiosorum Urethrae est exesa et in sinus erosa, in quibus post est crassa materies dolorem faciens, in tota vita insuperabilem: et si non crassum succedat, tum fit degenerans fabrica, ubi humor colligitur, non quidem magnum malum faciens, sed tamen continuam veteris mali reminiscentiam.

V. Liquor hic fit aliquando et sensim sanguineus et tenuis: qui gradus omnium pessimus est, et hic facit finem Gonorrhoeae simplicis in summo gradu. Notatum erat in primo initio ex Benivenio et Nicolao Massa, quod esset una species Gonorrhoeae insanabilis, quando plurimus sanguis profundebatur de partibus

adfectis

adfectis: Jam duplex est in Gonorrhaea sanguinis profusio: una est quae sola decurrit, et haec praeter acre nil mali habet; sed cum aliquid sanguinis continuo cum pure prodit, tum multa mala: nam hoc significat, malum non tantum cellulosam tunicam erosisse, sed etiam penetrasse ad membranas, quae urethram faciunt, coriaceas; hinc postea semper aliquid callosi remanet ad has membranas serosas, et structura arteriarum variata est, quod in membro tam mirabili, ubi semel accidit, non patitur penitus solidari, quia semper aliquid irritans restat.

VI. **Liquor ille exsiccatus ad Lintea fere semper rigescit**: quod semen masculinum raro facit et tum quando haec materia obriguerit, colorem quo peccat, maxime ostendit, unde me, dico de interiori Gonorrhaea manet judicium.

Haec est historia materiae, quae in Gonorrhaea simplici sincera, sed virulenta occurrit a primo initio ad finem.

E. a. **Liquor ille sic genitus qualiscunque sit, quas transit partes inflammare solet simili inflammatione, qua glandis superficies ab affrictu materiae contagiosae generabat morbillum ante descriptum.**

Nunquam hoc magis advertitur, quam si materies forte exsiccata aliquamdiu in urethra retineatur, maxime tempore somni; tum cum naturaliter unctuosum linimentum fit, quo cohaerent interni urethrae parietes non nisi nisu edito aperiendi: cum igitur retinetur ultra sphincteris potestatem, ibi sistitur, et si redditur, tum aeger sentit dolorem in urethra. Ostendit se hoc malum nunquam pejus, quam sub operculo praeputii, dum homini noctu materies retinetur inter superficiem convexam glandis et cavernosam urethrae, caloreque nocturno fovetur, producit dolores et inflammationes. Hoc summum malum est in simplici Gonorrhaea, et ab hoc cavere se debent aegri. ideo a Medicis hunc in finem monendi; nam sic retenta et haerens in eo loco calido, foetido, ex bona potest fieri mala Gonorrhaea: et hoc si praecavetur, plerumque facile possunt curari.

b. **Liquor hic illas partes excoriat, ad quas pervenit**: Sunt hoc loco membranae tenues adeo ut fere non sint membranae, sed textura vasculorum: haeret autem haec Gonorrhaea tantum in parte anteriori, ubi maxime tenues membranae; ubi enim vesicae propior est, est crassissima, sed decrescens sensim in anteriori parte fere nulla est, tuncque glandem investit: Hinc haec materia acris noctu retenta solet ibi ante conniventia ostiola partis urethrae excoriare, cujus pars freno adcumbens, omnium est tenuissima eo loci, ubi ille hiatus est a Morgagnio observatus. Hoc autem malum frequentissimum est in Gonorrhaea primi generis non bene curata.

Altera excoriatio est ad superficiem glandis, quae habet membranam Arachnoidea tenuiorem, quae papillas nervosas acutissime sentientes investit.

Tertia

De Lue venerea.

Tertia excoriatio est in superficie praeputii interiori membrana etiam tenerrima praedita, cui subjacent vasa subtilissima, quae affecta statim sanguinem fundunt.

c. *Ea materia erodit.* Erosio est profundioris partium fabricae exesio; unde dolor oritur titiginosus; partes enim nervis refertissimae, unde dolor immaniter augetur in partibus maxime sentientibus. Hic autem fit tantum à materia retenta, calefacta, erodente, excoriante. Dolor autem hic partem immaniter firmat, unde fit Priapismus; loco tamen voluptatis fit dolor; quo enim ille Priapismus major, eo nervosae partes inflatae plus tenduntur et inflammantur, omnium maxime reddito lotio, nam tum nervi nudi et infecti, urina calida et acri applicata, non possunt non exuri; haec autem fiunt maximus noctu.

F. *Semper fere tumescit glans, et corpus fungosum urethrae.* Haec duo constituunt unum corpus continuatum et communicans: hinc uno tumente, tumescit et alterum. Sed ubi tumet urethrae corpus fungosum, tum ab omni parte valde premitur, quod ex hac causa fit: constat urethrae corpus ex fungosa illa substantia interjacentes inter duas membranas, quarum altera exterior, altera interior; exterior interiori longe est crassior, hinc exterior est cedere nescia; sed cedit interna, unde urethrae eo tempore arctatio et simul durities, vocaturque malum chordacea constrictio, noctu et ubi urina redditur maxime se manifestans.

G. Haec est prima species Virulentae simplicis Gonorrhoeae. Forte cogitatis, nonne est Gonorrhoea composita? est enim erosio, sed A: A: non est; sequitur enim hoc ex simplici Gonorrhoea, nam non adsunt ulcera, quae si sunt, tum est composita.

Signa Pathognomica hujus speciei explicanda veniunt, suntque

1°. *Locus anterior penis adfectus.* Dum certus esse deberem ejus Gonorrhoeae, qua quis laborabat, rogavi aegros, vellent matutino tempore ad me accedere, quo facto, antequam lotium reddidissent, rogavi, ut premerent glandis exteriorem partem; observavi omnia, quae materies exeat, ad linteum etiam observavi et consideravi; quo facto jussi ut et superius premerent; si et ibi prodiret, cum omnis cautela adhibita esset, tum non erat Gonorrhoea simplex: sed si nil prodit, etiam si ad perinaeum usque premas, virulenta simplex Gonorrhoea adest.

2°. *Prima infectio.* Nunquam audebo dicere, Gonorrhoea simplex est in homine, qui prius Gonorrhoea jam laboravit, licet non aliud, quam hoc examen instituatur.

3°. *Materiae bonitas.* Haec per suas species descripta est, et quo magis à suo stadio degenerat, metus est aliquid compositi adesse eo major.

4°. Absentia

De Lue Venerea.

4°. Absentia aliorum morborum. Si aeger bene rogatus post ortum Gonorrhoeae, an circa nasum, fauces, inguina, scrotum &c. indueti quid apparuerit, et responderit nil adesse, et tria antememorata signa adsint, certus sum, est Gonorrhoea simplex.
Si aeger sic fallit suum Medicum interrogantem serio, dicens laesum se jam prima vice esse et nihil amplius sibi esse mali, tunc sane malum sine forte oriundum ipsi erit imputandum.

Sedes adfecta in prima Gonorrhoea est Glans et anterior portio urethrae: hoc clarum est ex dictis; si vobis alius casus apparuerit, est sane rarissimus, mihi nunquam visus: Glans enim primum adficitur morbillo, et tum post maculam ex urethra venit malum, tumque ex glandis cavo exit materia.

Quae ergo pars est adfecta? tota glandis substantia est penetrata usque ad cavum urethrae. Hoc solus observavit Egregius Thomas Sydenham: dicit, quod est verissimum, si valde debilis homo prima vice adficiatur forti, sed non pessima Gonorrhoea, tum postquam in superficie glandis morbillus apparuit, si lixivio glandem deterseris mundissime, et per tempus aliquod expectas, tum de glandis poris materia alba, flavescens, viridis &c. pro vario morbi stadio exit et transsudat; hocque fit, quando homo valde debilis est: sed cum sit constrictior, tum à parte interiori transsudat.

Quid est tota Glans? Ruyschius docuit, duo penis corpora fungosa desinere sub glande, urethram autem inter ipsa ferri ut corpus tertium fungoso alio corpore tectam, quae ad partem anteriorem retroflectitur supra duo corpora fungosa penis, et glandem nihil esse nisi cavum urethrae extrorsum versum. Quod cum verum sit, apparet exire è glande in cavum urethrae materiam morbificam.

Opus nunc est ad bene intelligendam hujus mali historiam, ut videamus fabricam mirabilis illius instrumenti, quatenus laborat hoc malo; est enim hujus alia, quam veteribus habita fuit, fabrica, ejusque cognitionem debemus Clarissimo Ruyschio, qui veram penis fabricam solus nos docuit.

In hoc ergo instrumento consideramus membranas, papillas, cellulosam structuram et cryptas circa hanc machinam haerentes: in hisce enim omnibus rite examinatis et propositis haec historia potest haberi.

Penis à Summo Creatore nobis datus videtur duplicem in usum:
1°. ad emittendum Lotium extra corpus:
2°. ad expellendam genituram in corpus muliebre cum voluptate libidinosa, qui sunt effectus in ejus fabrica à natura provisi.

Horum effectuum ratione hoc instrumentum longè aliam ubique habet structuram; nam quatenus urina tantum expellenda est, sola Urethra (quae nil nisi productio vesicae est) examinanda est; sed ut semen

ejiciatur

de Lue Venerea.

spiciatur, non tantum urethra, sed et penis, qui potest arrigere &c. simul sunt consideranda; hinc necessario eum in finem longe alia instrumenta eo accedunt.

Hic ergo primo omnium consideranda est Urethra, ad quam omnes aliae partes accedunt ad suos effectus producendos.

Haec Urethra construitur,

1º. fabrica apta ad naturam emissarii:

2º. fabrica machinae expellentis per emissarium:

3º. fabrica machinae dirigentis semen in loca destinata: et

4º. fabrica, quae voluptatis causam habet.

Ut exponam, quae mala hanc partem afficiant, doctrinam dirigo.

1º. ad naturam emissarii.

2º. ad naturam machinae expellentis, ad quam aliae partes debent accedere, quae evacuare valent.

3º. ad machinam, quae semen defendere non tantum, sed et deducere et dirigere valet:

4º. denique ad causas voluptatem in hisce excitantes exponendas.

Quae omnia, quantum fieri poterit solertia et ordine exponere mihi est proposito, ut inde clara nobis nascatur idea malorum, quae hisce partibus oriri possunt.

A. De Urethra, quatenus urinae Emissarium est.

Dum itaque penem, ut emissarium simpliciter consideramus, dicitur voce antiqua Urethra, id est canalis urinam ferens de corpore:

Haec primo oritur ex sola vesica; nam in initio dum ex vesica procedit, nondum est penis, sed simplex est canalis ex vesica productus: ubi aliquamdiu sic progressus est, a lateribus utrimque accedunt corpora cavernosa, seu fungosa, et tum sic construitur ex his penis, hic est longe alia constructio urethrae, quam reliquus totius ejus est decursus:

Quatenus ex vesica oritur, est tantum apophysis vesicae urinariae expansis in canalem angustum membranaceum. Verissime animadvertimus, quod interior membrana urethrae erat praedita mucilaginosa, ne subjacens fabrica nervosa irritaretur ac corroderetur a acri urina. Haec membrana postquam sphincter claudit vesicam, ulterius porrecta facit primam urethram, quae ergo est productio continuatae membranae interioris vesicae, quod hisce experimentis facile patet;

1º. si calculus exiguus haeret ad collum vesicae, tum statim glans penis prurit, certo indicio, quod membrana illa vesicae, cui calculus adjacet, porrecta evadat talis pars, quae sensum eundem ac vesica percipit:

2º. in iis, qui strangura laborant, sentitur in urethra sensus acrimoniae liquorum in vesica haerentium, hincque statim ad glandem oritur sensus doloris.

Est

De Lue Venerea

Est ergo haec membrana dilatabilis, ut ipsa ve-
sica. Hominis sani vesica omni urina orbata fit magnitudinis, ut nux juglans: aliquando vero plures uncias urinae continens in ingentem molem extenditur: Hinc quo minor est et spatium angustius occupat, eo apparet crassior et urinae minorem copiam continet.

Est etiam urethra valde contractilis. Quod maxime hic notare debemus, quia multa phaenomena postea inde explicari poterunt: Deprehendimus calculos, (ut ipse vidi) fere nucem avellanam magnitudine aequantes expulsos summo nisu a viris per urethram, dum tamen ipsa urethra nunquam aperta, sed semper collapsa est, imo, nisi continuo mucus interpositus esset, concresceret. Aegyptii, ut hominem calculo laborantem ab eo liberent, inflant fortissime urethram a parte anteriori ante calculum, ac pone eum ipsam claudunt, et tum calculum per dilatatam urethram prementes antrorsum cient et educunt.

Urethra etiam compressilis est: Nam nunquam patet, nec aërem admittit, nec liquidum sponte emittit, nisi in morbis venereis:

Urethra quoque extendenda est: Quia scilicet in longitudinem elongari potest, ut patet in libidine venerea, quum in magnam satis longitudinem porrigitur. Unde, quemadmodum vesica, capax est expandi, sic etiam haec ejus apophysis.

Dirigenda in rectum est urethra. Nunquam autem sua fabrica, sed tunc accedunt corpora fungosa ipsi accrescentia, postquam per spatium pollicis ex vesica producta est.

Naturali situ semper curva incedit. Considerare nunc debemus ejus decursum, qui primo est per spatium pollicis recta deorsum, ut Clarissimus Morgagni observavit, quod apparuit, cum in cadavere aperto vesica sic findatur a parte posteriori, ut stylus possit per eam in urethram trudi; tunc enim apparet, quod ubi primo educitur e vesica, perpendiculari descendat cursu, dein secundo oblique sursum in anteriora ascendat a parte anteriori intestini recti, cui adnectitur, ut postea apparebit, versus os pubis, dum nondum accesserunt corpora fungosa, quae postquam accesserunt, adscendit ad curvitatem illam, quae ossi pubis adnectitur: Tunc tertio postquam ligamentum suspensorium penis juxta longitudinem penem prehendit, descendit recta usque ad glandem pendula.

Hic situs facit quam mirabiles differentias Gonorrhoeae virulentae, et hinc apparet, quam raro materies venenata usque ad flexuram primam adscendat, et quando ultra illam progressum est malum, quomodo tunc periculosissimum sit.

Variam Latitudinem habet in suo decursu. Angustissima est, ubi sphincter vesicam comprimit; unde impossibile fere

est

est ulli materiae Venereae venire usque in vesicam; nam tanta ibi est arctitas, ut ne etiam obsequiosissimis corporibus catheter non sine magna resistentia intrudi possit, nec per syringas possimus materiem injicere, magno certe generis humani bono; si enim huc transire potuisset materia venerea, adhuc longe pejus hoc malum fuisset.

Post hunc locum sequitur latior ejus plaga. Concipite finem vesicae hic urethra sola et libera est, hinc omnium latissima; quae ratio etiam est, cur postquam per conatum reddendae urinae, calculus facile transeat huc et plerumque sistatur, ubi pervenit ad locum, ubi corpora cavernosa urethrae accedunt.

Postquam hic latissima pars fuit, mox fit longe angustior; unde si ad Prostatas pervenerit Venerea Lues, semper hic haeret ejus materia; quando nimirum inter finem vesicae et locum, ubi corpora fungosa accedunt, in latissima illa parte haeret materia haec, tum raro solet manere simplex Gonorrhoea, sed accedunt vulgo fistulae quae faciunt ibi horrenda mala, uti hisce diebus ipse vidi. Et hic locus imprimis est metuendus, quia ex angustissimo in angustissimum terminatur, adeoque quasi cellam quandam format; unde non facile in vesicam transit materies, adeoque hic suos edit effectus.

Dein ubi inter ossa pubis accessere corpora fungosa, fit angustior, dum ulterius progrediens iterum solet esse latior, quod ex calculo urethrae itidem patet.

Omnium angustissima est ad glandem, ubi Gonorrhoea primi generis haeret, quae si per latius orificium posset se dimittere foras, multo citius et facilius sanarentur aegri.

Haeret urethra contracta, ubi ejus apertura est. Gonorrhoea primi generis semper haeret inter pubis ossa et glandis apicem unde semper haec materia haeret in loco satis flexili, sed sistitur ad locum ubi apertura penis est, unde retenta nimis diu materia Venerea fere semper hic facit fistulas, per moram scilicet acrior facta.

B. De urethra quatenus dirigendo liquori genitali facit.

Postquam exivit urethra ex collo vesicae et superavit locum angustissimum, tum mutans statim naturam vesicae novam induit, scilicet tunc constat binis membranis et corpore fungoso medio.

Prima membrana est continuata vesicae interior superficies, quae producta ex vesica terminatur ad foramen glandis.

Secunda distat ab hac, et in juvenis hominis sani libidine arrigente membro distantia haec quidem duas vel tres lineas spatii incedit: hinc canalis fit duplex: unus productio vesicae, alter parallelus huic, sed ab eo distans.

Tertio est substantia fungosa, vel cellulosa, vel nerveo-spongiosa ipsius urethrae. Haec oritur sub apertura vesicae in urethram; pergit hinc,

donec

donec ad glandem desinat: Illud corpus oritur sub vesica, in qua fungosum corpus non est, sed in urethra statim apparet. Decurrit hoc corpus inter duos istos canales juxta longitudinem penis, et desinit ad glandem: ibi tunc inflectitur superius, et facit eminentiam superextensam corpori fungoso penis, quae in exteriori sua parte corona glandis vocatur: ibi desinit, unde glans penis est substantia ipsius urethrae extrorsum versa.

Patuit nunc hoc verum esse per experimenta: nam Clarissimus Ruyschius jam ultra triginta annos penem humanum per arterias pudendas injecta aqua penitus eluebat, omnique sanguine liberabat, quo facto immittebat ceram suam rubram, qua frigefacta, dissecabat corpus penis, videbatque, quod cera injecta exivisset ex arteriis et oppleret ubique substantiam fungosi corporis urethrae et glandis. Hinc opinione, quod glans esset substantiae carnosae, mutata, vidit supra dicta, quae antea in solene imprimis vitulino expertus erat, ubi extravasata cera in cellulis erat collecta: Hinc primo cogitare coepit, an fabrica corporum fungosorum urethrae et penis non esset alia, quam vulgo putabatur, et aliam partem penis vulneravit, ubi corpora fungosa accesserunt ad urethram, et per immissum siphonem aërem injecit, viditque totum penem arrigere, sed glandem flaccidam manere et urethram; unde primus didicit, quod corpora fungosa penis et urethrae non inter se communicarent, sed diversissima essent: Hinc dum penis adhuc cohaerebat integro corpori, sed ubique ab integumentis denudatus erat, inflixit parvulum vulnusculum corpori fungoso penis, et aerem inflavit: hunc retinuit in pene, et tunc sub vesica urinaria vulnus exiguum bulbo urethrae fuit inflictum, et aërem inflavit, quo facto glans et tota urethra ac penis rigida facta fuerunt, quae si sic siccarentur et inciderentur, apparebat corpus fungosum urethrae habere singularem substantiam et decursum.

Hinc si morbi occuparent has partes, nunquam possunt venire ad corpora fungosa penis, sed quidem ad corpus fungosum urethrae; unde omnia etiam mala hic occurrentia cognosci et curatio indicari possunt.

Ubi è vesicâ egressa est urethra, oritur prostata, qui per mediam suam substantiam transmittit productionem vesicae, ideoque vesicae substantiam glandosam simulat: Huic ubi adhaesit, descendit urethra, et tum à corpore hoc glanduloso relinquitur, quod ubi factum est, initio statim adcrescit urethrae undique corpus cellulosum, quod cum ad prostatas est, vocatur bulbus urethrae. Haec substantia hic post finem prostatae initium habens, antrorsum it, et manet usque ad glandem penis et hic circumflectitur et glandem constituit: In hac urethra

jam

De Lue Venerea

Jam adnotavimus ejus decursus partes: ergo primo ubi adcrescit prostatae, tum bulbus urethrae maximus inter locum ubi prostata desinit et fungosum corpus adcrescit, 3ia pars est, quae sine ad- scendit ad os pubis, et quinta, quae hinc usque ad extremitatem glandis procedit: Hinc jam intelligenda est Gonorrhoea, quae sine ejus rei cognitione intelligi non potest:

Glans penis quid jam est? Hujus initium est ad eminentiam coronae ad finem praeputii, ubi lamella praeputii corpori penis adcrescit: finis est ad urethrae finem. Haec substantia est ipsa substantia fungosa urethrae. Urethra intra duas membranas decurrens, ubi ad finem penis pervenit, interior membrana fit nulla, sed interior hujus membranae interioris lamella à crassiori deserta superficiem glandis superscandit: parte autem infima haec substantia deserit urethram et retroflexa duplicatur: tum altera membrana interius manet, altera supra scandit:

Interior autem glandis substantia est concursus interior duorum corporum fungosorum penis, quae ubi desinunt, substantia urethrae fungosa iis circumcrescit, et sic totum hoc constituunt.

Hinc inter interiorem fabricam glandis et exteriorem fabricam ultimam corporum fungosorum penis, est quid intermedium, ad quod saepe fit gangraena penis, qua nil perit, nisi substantia supereminens glandis, adparetque colis postea, quasi decapitatus, illaeso caetero corpore. Et nunc substantia fungosa urethrae directe sub ortu suo, statim post finem prostatae inflammatur, tum sola urethra et glandis superficies turgent, ut in Priapismo patet, sed non corpora fungosa penis.

Hinc in eo casu penis incurvatur et deorsum trahitur: sola enim trahitur urethra et glans inflata, caetera sunt flaccida. Hoc plerumque fit in Lue venerea; tunc enim membrum interius est durum, superius flaccidum summo cum dolore. Verum si postquam urethrae substantia sic inflata est, simul inflentur corpora fungosa penis, ab omni parte penis inflatur et rigescit, tumque retrorsum flectitur versus ventrem hominis: Omnia haec egregie descripsit Clarissimus Ruyschius in centum Observationibus Chirurgicis: Quando hoc ita fit, si per arterias pudendas (quae sunt omnes arteriae, quae arteriosum sanguinem adfundunt ad partes penis, ortae ab Iliacis internis, quae ramos dant per varias vias ad corpus penis venientes) statim immittit Ruyschius et injicit aquam tepidam, hanc comprimendo elicit, et sic iterando, donec omnem sanguinem exprimit, quo facto per easdem aërem inflat summa vi, ille aër injectus transit per omnes partes: tum totum penem sic inflatum ligat et suspendit, donec obriguerit pars exsiccata; tunc discindit et microscopio lustrat, et adparet quod arteriae in totam cellulosam substantiam liquorem suum deponant usque ad superficiem

glandis

glandis, et hinc nulla hic pinguedo, oleum, spiritus, vel aqua, sed merus sanguis arteriosus exit.

Alterum est quod venae pudendae, quae sunt eae, quae sanguinem à parte viri referentes, ponuntur extra corpus penis, non ita ut Arteriae, intra corpus, et colliguntur tribus in Locis. 1º. Per dorsum superius penis, ubi vena praeputii, vel potius totius penis ingens, quâ compressa (quod fit quando penis turgidus premitur versus os pubis) turget penis: reliquae 2da et 3tia sunt Laterales, et divergunt ad illum Locum, ubi musculi sunt Libidinosi, qui ubi agunt, comprimuntur hae venae, et sic sanguis venosus sistitur in toto pene: Hoc demonstratur evidentissime; nam Ruyschius, ubi eas sub valvula inflavit, urethra et penis substantia turgebat, sed quando jam sic exsiccaret, et lustrabat corpus, tum omnes venae distributae per dorsum ac latera erant aëre turgidae et in formam consistentem concretae, et omnes fines desinebant in inflatum corpus fungosum urethrae et penis apertis foraminibus, sic ut per has vias aërem introivisse appareret: Sic sunt venae duplices, vel quae directe ex his cavis ferunt sanguinem, alterae quae ab Arteriis: et Arteriae duplices, vel quae directe in venas, vel quae in cellulas desinunt: Hinc intelligitur substantia hujus partis: Nunc nobis sufficerent haec huc usque: hic enim fere haerent morbi penis: verum vicinia loci in paucissimis casibus cellulosa crassa membrana urethram cingente aliud facit: Vide Centum Observationes Chirurgicas Ruyschii.

Aliud superest, scilicet directe sub exteriori membrana glandis haeret quaedam substantia, quae itidem est cellulosa, non pinguedinosa, et ambit glandem in exteriori superficie, estque parva, sed inflata videtur sola totum penem involvere: in hoc morbo apparet penis turgidus, sed pellucidus, non inflammatus, sed fere hydropicus, et fere semper incurvatus: Hoc malum nihil curat nisi per horae spatium aquae frigidae ope lintei applicatae involvatur penis: sed si emollientia applices, tunc pars fit flaccida, et perit instar suppuratae:

Haec sunt A: A: quae circa hanc Rem notanda erant: jam agendum

De illa Penis Fabrica, quae Voluptatis causam habet:

Scripsere Anatomici Celeberrimi, ut Tysonus et alii, superficiem exteriorem glandis penis plenissimam esse glandulis. Hoc Cowperus adsumsit et Morgagni etiam notavit, sed vix credo unquam visas esse: verum Clarissimus Ruyschius docuit, quod mundato pene pars relicta ad coronam glandis appareret, quasi adessent plurimae glandulae, sed microscopii inspectione constat hoc falsum esse: Est autem supra glandem tenuissima membrana, quâ ablata fit hirta et aculeis horrida glans, quasi esset pellis histricis: Hae

sunt

sunt papillae, quae ubi labem in primo initio Luis Venereae contra-
hunt, putares glandulas esse, sed sunt verae verruculae.

Est hic unum adhuc observatum, Arteriae distributae per corpus penis, ubi pervenerunt ad partem cui glans imponitur, finiuntur. Quando igitur penis arrigitur, tum omnis sanguis stat sub hac parte: si tum vulnus infligitur sub corona penis, tum intra unam horam sex librae sanguinis effluunt, et homo sine illa fere adplicanda medela moritur. Ergo hic verrucae sunt ortae, et Chirurgus erodit hic arteriae finem et accedat Priapismus, videtis, quantum malum hinc oriatur.

Nunc supererant consideranda vasa illa quae particulariter dantur huic parti. Consideremus, ut re ipsa sunt: Cum itaque membrana exterior Urethrae totum penem ambit, et jacet sub membrana cellulosa penis: Dixi ante et res est intellectu necessaria, quod membrana, per quam Urina transit, nisi vocetur interior membrana, et quod huic incumbat cellulosa substantia, cui incumbit alia membrana, quae ipsius Urethrae exterior non tantum ambit Urethram sub corporibus penis fungosis, sed etiam totum corpus penis: Hinc communicatio datur inter penem externum et hanc membranam, quod solus Ruyschius descripsit in Observationum Anatomico-Chirurgicarum Centesima: Unde adparet, quod Lues possit pervenire ad dorsum penis intactis corporibus fungosis. Jacet itaque tota extensio cellulosae substantiae sub membrana communi subcutanea, nam cum cutis supra penem sit tenerrima, contractilis etc., ei pinguedo non subjacet in hominibus sanis; in pueris autem quaedam est: Sub ea vero membrana cutanea, est membrana mucilaginosa, flaccida, tenerrima, quae alia ab ea est, quae inflari potest.

Sequitur consideranda membrana interior Urethrae. Haec porrigitur à fundo vesicae per totam Urethram: Haec membrana quando animadvertitur in veretro humano inciso et macerato dividi potest in duas lamellas tenerrimas, quae sic inter se complicantur, ut arcte cohaereant, et non nisi diuturna maceratione separari queant: Inter hanc duplicaturam jam decurrunt vasa, de quibus dicam.

Intercurrunt eodem modo, quo Ureteres inter tunicas vesicae aliquamdiu decurrunt, antequam in vesicam aperiuntur. In iis jam emissaria obliquo situ posita sunt: si vultis haec videre, legite Morgagni in Adversariorum Anatomicorum parte prima, et videte Tabulam quartam: praeterea legite Terraneum de vasis Urethrae, Guilielmum Cowperum in Descriptione Partium Genitalium in viris post Myotomiam edita, et Cockburnium in Tractatu de Gonorrhoea in quibus clara sunt omnia.

Pertunditur

De Lue Venerea

Pertunditur nunc haec membrana per tres poros, quae sunt orificia canalium vel Lacunarum, quae obliquo situ inter duas illas Lamellas ponuntur, et in his canalibus haeret materies Lubrica, mucilaginosa, semper praesto, ejus naturae, ut muci narium, nisi quod minor adsit copia.

Quantum videmus, naturaliter humor hic paucus est, sed hic humor quam facillime fit copia ingenti. In naribus hominis sani vix ulla notabilis est humiditas: si vero idem homo incidit in gravedinem copia est ingens; sic in Urethra hae Lacunae naturaliter vix effundunt liquidum, quod tamen in statu praeternaturali maxima copia exit; et quotidie increscit:

Hae Lacunae sunt majores, minoresve: Una est maxima: ad distantiam ab urethra usque ad curvaturam, penis sub osse pubis sunt Lacunae; in distantia vero ab ea curvatura usque ad fungosum corpus non sunt Lacunae; inter partem autem bulbi urethrae et collum vesicae non sunt nec Cowperianae, nec Morgagnianae, sed aliae Littrii.

Maxima Lacuna est ad distantiam circiter pollicis et dimidii retro ad penis aperturam, est longitudinis digiti transversi, et est saccus cavus, qui intra se admittit setam, quam intra se capit ad digiti minoris Latitudinem; si injicitur materia ceracea, extenditur in saccum satis amplum, et si inciditur sursum, tunc exhibet saccum ductui penis Longitudinali parallelum.

Reliquae sunt minores, sed quo magis ad glandem positae, eo plures et majores;

Haec est Regio Gonorrhoeae, et quidem maxime illa magna Lacuna. In hujusmodi cryptam majorem innumera oscula majora hiantia Lateraliter ferunt suum Liquidum, sed nunquam communicant cum substantia fungosa Urethrae; hinc arteriae per substantiam Urethrae reptantes, atque Laminae interiori applicantes immittunt Liquidum in has Lacunas, quod hic colligitur, et ubi Lacunae plenae sunt, emittitur in Urethram, quo inungitur Urethra contra acrimoniam urinae et vim emissi seminis.

Liquor hic hac ratione semper conficitur, nunquam tamen apparet, videtur enim partim cum urina ablui illa pars, quae adhaeserit interiori membranae, partim autem videtur per finem Urethrae pervenire ad praeputium, ab eo retrocedere et colligi sub specie pellucidae albae in hominibus sordidis concretae circa glandem, quae tempore aestivo fervente juventute et Venere saepe pessima mala absque illa Lue Venerea produxit, quales saepe curare debui:

Haec videtur illa esse materia, quae omnes fere Anatomicos fefellit: Legitur enim in actis Academiae Regiae Parisinae Anni CIƆIƆCC. ubi Du Verney, Littre, Mery &c. quaesiverant, quid esset Liquor praeputii, Du Verney diligens Observator nullas glandulas invenit, Littre se eas invenisse pronunciavit, sed ostendere non potuit, si enim Lixivio nitido

ablnebatur

De Lue Venerea

abluebatur pars, nihil glandulosi adparebat, sed eas mentiebatur hic Liquor
quod ex eo satis probabile, quod in iis hominibus, quibus praeputium ablatum
est, hae sordes non adsint: Tysonus quidem in nonnullis brutis, ut Caballo
&c. observavit, interiorem saccum praeputii habere sacculos quosdam unde
inunctio pro pene producitur contra acrimoniam externam, in iis quippe ani-
malibus penis saepe longissime propendit aëri expositus:
Omne igitur, quod ex his glandulis supramemoratis transit naturaliter
dum urina non redditur, videtur sub praeputio retrocedere, et sordes illas
facere:
Quando nunc tam facile foetidus Liquor hic stagnans, aërique expositus hae-
ret, foetorem et acrimoniam suscipit; et si homo hoc malo laborans affici-
tur Lue Venerea vel Gonorrhoea, vix sanatur, quod multis experimentis didi-
ci: hinc enim viscido, ubi venenum intermittitur, sanatio est difficillima.
Sufficerit hoc cognovisse, et habemus hanc ideam, quod tota interior super-
ficies urethrae plenissima sit hiatibus, qui versus glandem aperiuntur
et Lacunas habent inter duplicaturam membranae, quae siccum natura-
liter fundunt:
Nunc animum advertite ad alia, scilicet ad Descriptionem Glandula-
rum Cowperianarum:
Laminae illae superius memoratae ad curvaturam sub osse pubis seu ad
pendulum penem desinunt: hinc ibi nullus Liquor; sed harum compendium
fecit natura in duabus glandulis, scilicet in illo Loco, ubi incurvatur ure-
thra, duo emissaria ad Latera urethrae posita sunt, quae pressa transsudant
in cavum urethrae Liquorem viscidum: Haec duo hic posita faciunt, ut
nunquam siccitas hic adsit in angustissima parte urethrae maxime
compressa:
Haec sunt orificia duorum emissariorum, quae ad Longitudinem majo-
rem, quam duorum digitorum decurrunt, quae retro ipsam urethram petunt
et desinunt in duas magnas glandulas magnitudinis Phaseoli minoris ova-
tas fere, sed paulo compressiores, et Locantur ad urethram, ubi bulbus ure-
thrae fere natus est, et musculi acceleratores urethrae adcrescunt, quibus
cinguntur, unde hi agentes necessario comprimunt has glandulas, et mate-
riam secretam per emissaria faciunt exire in urethram ad Locum dictum.
Legite Transactionum Brittannicarum Philosophicarum abbreviatarum
Tomi tertii Paginam 195 et sequentes: ubi Cowperus has fere solus
descripsit, nam omisit illas describere in Tractatu de Partibus Genita-
libus post Myotomiam suam reformatam edito.
Usus igitur harum est, materiam facere, quae per ductus suos intra
urethram ponitur; sed cum inter corpus fungosum ponuntur, non sunt
ejus structurae, cujus sunt Morgagnianae; cum hae musculis etiam non
sunt suppositae: sed Cowperianae non semper emittunt Liquorem suum
in penem, verum tantum dum musculi acceleratores agunt:
1º In ultimo actu seminis exprimendi:
2do Urinae emittendae:

Haec

De Lue Venerea.

Haec ergo est secunda Regio Gonorrhoeae; nam ubi Gonorrhoeae materia huc pervenit, et transit per emissaria in has glandulas, oritur dirum malum, ubi ad Latera urethrae sunt tumores magni, qui in fistulas plerumque desinunt vix sanabiles.

Sequitur nunc Tertia Gonorrhoeae Regio. Pauci sunt, qui veram habent ideam urethrae in illa parte, ubi prostatae concrescunt: Unus Auctor qui hic satisfacit, est Regnerus de Graaff, qui solus bonam ejus figuram dedit: Cum vesica urinaria hic in collum transit, tunc ibi apud Graafium est crassitudo quaedam, quae pars Lubricissima penitus, et ambitus ultimo sphinctere vesicae; tum perpendiculariter in viro descendens ad finem hujus crassitiei apponitur prostata, et ille prostata perpendiculariter descendit: haeret hinc parti adfinis per spatium plus quam pollicis deorsum tendens: Est autem corpus glandulosum, compactum, firmum, per cujus mediam substantiam transit urethrae initium, et finis est colli vesicae: Vulgo omnes putant, quasi prostata tantum in fine sua transmitteret urethram, sed hoc falsum est; nam per totam suam substantiam per duos quidem digitos eam transmittit.

Simulac urethra emersit ex his, tum statim inflectitur (ante perpendiculariter descendens) ad angulum satis acutum. Ubi hic sectio fit perpendicularis urethrae pertingens usque ultra collum vesicae, tum medius diffunditur prostata, et in medio caro est urethra ad Longitudinem duorum circiter digitorum, ubi nullum corpus fungosum, cujus Locum supplet prostata.

Praecise in medio haerent duodecim emissaria perfecte patentia magnis foraminibus, setam admittentia, quae a duodecim sacculis veniunt prostatam constituentibus, et recto canali communicantibus, et proinde si premitur prostata, ex his omnibus Liquidum effluit ad oculum.

In medio tria sunt emissaria, duo vesicularum seminalium, cum parvo uno in medio. Haec a duodecim illis ambiuntur, et quando semen huc effluit, tum per duodecim illa foramina semen cum liquore prostatarum miscetur.

Ergo sunt quindecim aperturae tam magnae, ut setam admittant, positae, ubi nondum est fungosa substantia.

Sed ubi hinc emergit urethra accedunt corpora fungosa, postquam bulbus urethrae formatus fuit.

Haec est Tertia Regio Gonorrhoeae, quo ubi malum pervenit, teterrimae est naturae.

Tertium illud orificium demonstravit Morgagni in quarta adversaria Anatomica, animadversione tertia: qui dicit, quod pressae vesiculae seminales per tria illa orificia semen evomant, pressae prostatae autem liquorem suum per duodecim.

Hoc jam est fundamentum A: A: unde Gonorrhoeae historia contemplatio et curatio pendeat: intelligitis membranae interioris urethrae fabricam, cui incumbit corpus urethrae fungosum, directe sub prostata ortum et urethrae circumnadretum, corpus ibi dicitur bulbosum urethrae

Urethrae; tum accedunt corpora nervosa penis, quae non accedunt ad collum vesicae, vel ad prostatas, vel ad concursus urethrae fungosum, sed postquam urethra jam per pollicis transversi spatium ex prostatis emersit; hujus finis est glans:

Agite videamus, quid hic positis veri et certi de his morbis possimus dicere; interim tamen non debetis cogitare, quasi omnem omnino Gonorrhoeam tunc curaturi sitis; nam ubi in fungosa Urethrae substantia est, omni arte non potestis curare:

De Littrii Glandula nihil hic loci dico, cum existentia ejus ambigua sit, nec inepte putetur à multis appendix esse prostatarum, licet repugnet Clarissimus Morgagni Adversaria Anatomicae quartae Animadversione decima quarta:

Licet ergo jam dicere de Morbis Venereis hunc pertinentibus.

Prima Gonorrhoeae Species.

Primò Gonorrhoea simplex est in anteriori interiori parte Urethrae. Haec est prima generalis regula. Si hic tantum haeret, vocabo Gonorrhoeam simplicem: v. g. Juvenis, qui nunquam prius affectus fuit post tertium vel quartum diem, quam Venerem exercuit, incipit sentire molestiam in Urethra ad locum dictum, tum solum semper hunc locum accusabit, non altiorem:

Secundò, Si matutino tempore, nondum reddita urina premitur urethra, tum si glandis anterior pars premitur, nihil exit materiae, si paulo superius quaedam, sed si integro pollicis spatio supra premas, omnis materia exprimitur: et licet tum omnem penem quacunque in parte premas, nihil amplius exit. Curatio hoc clare docet; nam, ut postea patebit, hic corpus non est turbandum, sed si locum expurges semper, malum brevi sanatur, si verò retinetur materia, tum Gonorrhoea secundae vel tertiae speciei orietur: Profectò debeo hic vobis commendare, ut data occasione videatis et examinetis ipsi, an simplex Gonorrhoea se unquam superius extendat:

Tertiò Hac autem expressione facta, urina emissa erit clara, quum si ante mundationem emisisset, retulisset hanc materiam, quae per nocturnam ibi moram spissior facta fuit, et sic vermium induisset figuram, qui sub figura angvillularum in urina apparebunt, quod infallibile signum est Gonorrhoeae.

Quartò. Materies quae hic exit, quaenam est? Explicata fuit ante in Tractatu de Gonorrhoea in genere.

An est pus? Nunquam simile pus visum fuit in ulla parte corporis, imo ipsa ulcera Venerea fundunt pus, sed huic admodum dissimile est autem haec materies magis similis sebo vel saponi liquato, qui quidem est tenax, sed ita ut partes vix cohaereant: An ergo haec materies est pus? credo eam pus dici nullo modo posse.

An

De Lue Venerea.

An Liquior hic ergo naturaliter secretus est? Nullo modo; nam qui hic transsudat nil commune habet cum naturali; habet enim olidum foetorem, ubi sub praeputio deponitur, quem nunquam materia in Gonorrhoea habet.

Hinc debemus fateri esse materiem singularem, quae hic loci progignitur, et nondum tum exesas esse partes. Nam penis in hominibus hoc morbo laborantibus et violenta morte subito extinctis apertis, in Urethra sua non invenitur ulcerosi vel erosi, sed apparet quid tumefacti.

In Juvenibus turgentibus, Gonorrhoea saepe ex fungosis meatibus penis transsudat veluti ex spongia, quod ex Sydenhamo meministis.

Ergo est materies Rheumatica? Sed quomodo hoc capiendum? Corpus humanum ita factum est, ut ad omnem Locum ubi est nervus dolens, methodo nobis incognita adfluat magna Liquoris copia. In pulmonem v. gr. si quid aëris incidat, statim tussis oritur, et tantus humor blandus adfluit, qui conatur illud acre inviscare et sic per tussim expellere: In Oculis idem fit magis notum, quam ut probetur: si inciditur vel uritur quaedam pars corporis, nonne natura facit eo adfluere humores? si à frigore membrana nostra Schneideriana redditur imperspirabilis, nonne adfluunt Liquores et fit sternutatio, ut materia acris exeat sic? Ex his exemplis constat, quid sit materia Gonorrhoeae simplicis. Scilicet

In hoc morbo venenum Venereum susceptum et adplicatum est ad hanc urethrae partem: natura prehendens illud facit, ut omnia emissaria dilatentur et plus Liquidi crassioris generent et emittant, ut abluatur materia et expellatur. Hic Loci verum est Rheuma, quod 1°. patet ex Sydenhami exemplo. 2°. quia magnus dolor non adest, 3°. quia Urethra incisa nihil ulcerosi vel erosi habet, et 4°. quia homo Urinam reddituris hic magnam resistentiam patitur.

Locus adfectus sunt vasa mucilaginosa imprimis magna Lacuna in dorso Urethrae ad finem glandis. Hoc omni experimentorum genere patet: est enim ibi posita, ubi in Gonorrhoea simplici sentitur prima distensio, et ut heri (XXIVto Novembris CIƆIƆCCXXIX.) adhuc in exemplo vidi, si acrior paulo in initio Gonorrhoea, tum hic exquisite aeger sentit, quasi esset quid diruptum. Hinc putamus in ea haerere poros (videatur figura Morgagniana in Adversaria primâ) arteriosos, hunc liquorem excerpentes, adeo nunc extensos, ut crassiorem emittant, et hinc stimulum efferre conantes de corpore. Alterae Lacunae magis ad anteriora accedunt: harum una haeret intra glandem, ubi fraenum ibi adcrescit. Hic Loci Urethra est omnium Latissima post Prostatas; hinc materies huc facile venit et retinetur ibi, quia glans deficit, et haeret hic tantum Urethra cum corpore suo fungoso: hinc ibi ponitur Gonorrhoea prima.

Dispositio

De Lue Venerea

Dispositio, quae hic oritur, quaenam est? est inflammatio. Quomodo hoc scimus? duabus argumentis. 1° Labes Venerea ubicunque in superficie corporis adplicata facit semper maculam inflammatoriam; si interius urethrae adplicatur, non possumus eam invertere et examinare: sed sentitur calor, distensio, acrimonia urens, et si pejor, dolor satis ardens et si fiat Gonorrhoea haec eadem saevissima, sanguis exit: unde patet, quod initium est inflammatio: sed difficultas est, quoniam hic haeret circa Lacunas multum materiae, quae ibi excernitur. Sed si Gonorrhoea fit pejor, tum videtur hic Loci fieri suppuratio; quamdiu enim hic materia alba est et spissior, hoc nil mali est; sed cum fit suppuratio, materia fit subtilior, flavescens et sanguine permista quae docent, quod prima inflammatio faciat Rheuma, pejor vero faciat suppurationem &c.

Hinc nunc oritur stillicidium transsudans. Stillicidium vel ex uno cavo intelligitur collectum, vel ex omnibus poris fit: Membrana interior urethrae pertusa est innumeris foraminibus, hinc hic colligitur non in una, sed in omnibus Lacunis:

Haec transsudatio semper per urethram fit: In pessimo aliquando affectu haec transsudatio fit per substantiam glandosam penis. Ulceratio autem, quae hic fit Lenis est, ut clare patet, quia per sex septimanas imo per duodecim potest Gonorrhoea talis sine cura tolerari vita bene instituta, et tamen non multum mali faciet, unde patet hic lenem esse ulcerationem, quae magis in praeternaturali constat distensione, quam consumtione suppuratoria.

Diagnosis vero quaenam est?

Id est, quomodo Medicus ad Aegrum vocatus scire potest, talem esse Gonorrhoeam in sede, et materia? Respondemus

1° a Tempore, quo habito Veneris commercio materia fuit adplicata. Nihil enim plus considerandum est. Didici semper, si homo prima die, qua commercium habuit, statim signa dicta deprehendit, tum facile curatur. Si autem quatuordecim dies intercedunt, et tum forte largius potarit, tum demum sentit pessimus est morbus. Contrarium vulgo putatur: sed falso. Si ergo venenum per quatuordecim dies in corpore manet Latens, id est pessimum. Unde hoc est signum primarium Gonorrhoeae.

2° ex Loco adfecto non profundiori, quam haec sunt. Ut Medicus in his certissimus sit, una est methodus: debet aegrum monere; ut mane ad eum accedat, antequam urinam reddit: tum ille homo materiam debet exprimere coram Medico ab inferiori parte: si tum venerit pollicis spatio ab urethrae initio, incipit exire, et post hoc factum urina redditur clara, certus est, esse Gonorrhoeam simplicem.

3° Ex

De Lue Venerea

3º Ex materia. Nam si ea respondit copia lacunis hic positis, si est albo colore, si ipsa instar cremoris lactis, paulo tamen crassior; si urina reddita non magnum facit dolorem, est Gonorrhoea simplex.

4º Si adest reliquorum symptomatum absentia: si dolor, ardor, tumor in reliquis partibus non adsit; si nullum ulcus sit in corpore; si bubo non sit in inguinibus; si in cole praecipue et reliquis pudendis nullum sit vitium, certus est medicus Gonorrhoeam simplicem adesse. Sed haec sunt tam subtilia, ut si in scroto vel alia parte à materia venenata tantum sit facta macula, tum non est Gonorrhoea simplex, sed est Lues Venerea. Sed quousque scimus, à tali simplici Gonorrhoea nunquam ortam fuisse Luem, nisi errore Medici vel aegroti.

Prognosis hujus mali haec est.

A. Facilis hujus primae Gonorrhoeae est curatio.

1º Si modo statim à suscepto contagio applicentur requisita remedia, methodo requisita. Nam inveteratum malum huc non pertinet; tum enim semper aliud quid laesum est in cellulosa fabrica.

2º Si aeger obsequiosus ea vitarit, haec fecerit, quae directissime curationi repugnant, vel ad eam ducant fecerit: et credo revera, omnia mala, quae hic saepe oriuntur, deberi neglectui.

3º Si caveatur ut membrum aegro toto morbi decursu nunquam adrigat. nam hoc simplicis hujus Gonorrhoeae curationem tardat maxime, imo fere impossibilem reddit, quod in hac simplici Gonorrhoea cum perpetua prurigine adest, et hinc quibus sponte facilis fit incitatio, saepe in primo somno penis adrigitur; cum autem haec Gonorrhoea sit diathesis ad ulcera et incipientem erosionem, hinc patet, turgescentiam has partes dilacerare; unde deprehendi multoties, quod tarda cura molestissimus fui aegris hac in re. Maxime ergo notanda in Prognosi membri flacciditas.

4º Si aeger non est nimium obesus. Observantur quippe frequentissime macilentiores, quibus oleum magis deficit, facilius curari quam illi, qui dicuntur humorum pleni; hinc obesitas quam maxime resistit.

B. Haec est prognosis in facienda curatione. Sed ex hac vel neglecta vel male tractata fit vitium proximum. Gonorrhoea enim simplex est tantum Rheumatica dilatatio, quae tum evasit ulcerosa diathesis in minimis osculis mucilaginosis, quae magis magisque tum dilatantur et levem corruptionem concipiunt, unde ulcuscula fiunt, quod tamen cum membrana interior urethrae sit duplex

non

non ita facile fit, sed si materia vel nimis diu ibi haeret, vel Gonorrhoea increscit, tum ea eroditur, quae cum penetrata sit, tum materia erodens se diffundit non inter duplicaturam membranae, sed ad fungosam Urethrae substantiam, quae cum sit maxime dilatabilis, hinc difficilis repurgatio.

Haec est vera idea Prognosis. Didici hoc tot casibus, ut clare animadverterim, hanc esse causam subsequentis majoris mali.

Quando hoc sic factum est, praevidemus

1º Ora haec osculorum futura callosa. Cum enim superior superficies horum osculorum hac materia adficitur, tum degenerant, fiunt callosa, in cavum Urethrae adscendunt, et Urinae emissioni aliquantum resistunt.

2º Fiet hinc saepe propagatio successiva ad alias partes, et quidem

α. Versus Lacunas magis retrorsum, quae Lacunae desinunt, ut dixi, ad Urethrae curvaturam sub osse pubis. Ergo primum, quod hic fit, est retrogressus Loci adfecti hac norma.

β. Versus Emissaria Cowperiana, de quibus supra quoque egimus.

γ. Ubi penis redescendit, si eo vergat, haerebit quasi in sacco: ubi igitur eo pervenit stagnatione ulcera facit in perinaeo sub scroto. Cum

δ. ad bulbum Urethrae jam pervenit, tum libera est materia; nam ibi nec est substantia fungosa, nec glandulae.

ε. Paulo jam inferius sunt duodecim Emissaria Prostatarum, Emissarium Glandulae Littrii, et Vesicularum seminalium, quo ubi venit malum, erosis locis potest se in cavitatem Vesicularum seminalium insinuare venenum.

Haec jam ex Gonorrhoea simplici neglecta vel male tractata possunt praemetui mala, et haec est vera Prognosis.

Sequitur tandem

Curatio Gonorrhoeae Primae Speciei.

Satis est mirabile, quod omnium, qui de Gonorrhoea scripserunt Auctorum, primus omnia tradiderit ita, ut Ego, qui Veritatem sequor, nihil inveni additum a Posteris, quod bonum sit, ut postea demonstrabitur.

Sanatio consistit in expurgatione materiae malignae intra penis Loca descripta receptae ex Diagnosi, Aetiologia et sede descripta.

Si jam rogem, quaenam est Gonorrhoea simplex? facile respondebitis.

Si rogem, quae materia? facile dicetis

1º Est stimulans virulentum, quod totum Corpus potest inficere.

2º Omnis materia in Gonorrhoea exiens non est tamen virulenta, sed est Lachryma expressa a natura ad diluendam et eluendam materiam virulentam.

Nunc

de Lue Venerea.

Nunc tota Curatio consistit tantum et semper in hoc obsequio naturae, ut expediamus vias sic, ut haec materies expurgari possit: est ergo vera Catharsis. Hinc hic non opus est totum corpus turbare, et nescio quae Mercurialia &c adplicare. Sincere dico, me saepe detestatum esse pravum Chirurgorum morem, quo sane naturam saepe turbant: sed expurganda tantum est pars adfecta, et materies inficiens.

Hinc, quod mirum, invenio primos Auctores, Magnum v: gr: Fallopium dicere aperte, si Gonorrhoeam simplicem tractas, permitte modo naturam, et cum libere decurrat, nil mali faciet: Ergo tota curatio consistit in expurgatione materiae inficientis, et quae à natura per dilatata vasa liberum exitum habet: Hic ergo tantum naturam imitari debemus, ut fecere Medici Antiqui, qui cum viderent Luem Veneream pustulas et ulcera per totum corpus facere, naturam adjuvabant sudorifera praescribendo, quae tamen in Gonorrhoea nihil boni faciunt:

O. Indicatio ergo nostra est obsequium naturae conantis hanc expurgationem per materiam hic naturalem, non virus, sed vehiculum. Debemus ergo tantum expurgare per illam materiam facili negotio. Si homo forte unciam dimittit hujus materiae, tum millesima pars non est tota virus, sed tantum virus ejus pars inviscata huic materiae, quod extra corpus defertur.

C. Artis igitur est hanc expurgationem promovere, sed quomodo possumus hoc facere?

1°. Nunquam ad alium corporis Locum hoc virus pellendum, quod hic continetur.

2°. Nec aliam debemus conari producere materiam, ut id expellamus.

3°. Nec aliam expulsioni viam debemus quaerere.

A. Ergo tantum procurandum est, ut crassa illa materia fluat idonea copia. Tunc enim cito plerumque sanatur, nec prius cogitandum est de minuenda, nisi certi simus phaenomena hoc indicare:

B. Debet Libere fluere, nec redire in Locum unde profluxerat: ad quae maxime est attendendum, et videndum an non incipiat per membranam Urethrae ad substantiam cellulosam ire; Hinc nil plus cavere debemus, quam

C. Ne retineatur materia jam confecta. Dum sani sumus, vix decem guttae de die fiunt, sed virulenta materia nata forte duae drachmae de die oriuntur. Videtis prondam naturam, quae materia si retineatur, tum acris fit, virus multiplicatur et mala adcrescunt: Ergo non est retinenda, imo vero ad exitum adlicienda, in quo tota consistit Curatio. An aliquis Medicorum tam subtilis potest esse, ut id virulentum ex emissariis earum Lacunarum posset adlicere, si natura materiam non daret! hoc certe omnis injectio non faceret, tum enim potius retro pelleret: Ergo natura à tergo venit, et materiam diluentem et abluentem subministrat:

1°. Consideranda

De Lue Venerea

1° Consideranda est haec materia venenata subtilis pauca, valdè contaminans in primo initio, habens pessimas qualitates: Nam veluti Atomus se in Urethram insinuat, et haec mala procreat: Tum

2° Consideranda est materia mucosa à fabrica Lacunarum genita. Haec est instrumentum naturae nobis in manu datum, ut educatur postquam invisatum ei est venenum in hoc vehiculo: et haec materia desinit generari sensibili copia, simulac venenum est ablutum. Nemo enim Medicorum potest Gonorrhoeam sistere, nam si adstringat, crusta fit, sed materia tum retenta venis gravis fit, fiunt, pejus malum, ulcera. Unde quicquid promittunt de exsiccatione, nullius est momenti; si enim minima supersit Atomus mali aderit etiam haec materia: Hanc ideam didici per multa experimenta.

3° Consideramus in hac materia, quo plus virulentum prae vehiculo abundat, eo semper erunt omnia phoenomena graviora in aegro et materia ejecta: Hinc si est valde flava vel viridis, vel subsanguinolenta, jam ilico videtis, quantum in ea peccet virulentum. Sed

4° Cum sit alba, licet copiosa sine dolore, prurigine, ardore urinae tum cito desinit: Unum hic est monendum: quod homines, qui in eundem hunc lapidem saepe impingunt, minus facile curentur; nam in his saepe nunquam postea desinit Catharrosus hic fluxus, licet non sit flavus, quia oscula lacunarum dilatata et paralytica saepius diathesin hanc accipiunt sibi quasi naturalem: tumque Curatio est fere impossibilis: nihil tamen nocet, sed nunquam desinit.

Sequitur jam

Methodica Curatio.

Hanc hac ratione semper conabor peragere, cum conditiones dixerim:

Hinc quae hoc capite sequuntur, sunt pro sola Gonorrhoea simplici non longe à commercio cum Muliere infecta prima vice in corpore sano suscepta.

Potus igitur esto.

A. Aqua simplex, largiori paulò copia, quam vulgò sumi solet, ut potus Thee, Caffe cum Sacharo et Glycyrrhiza. Hoc unico remedio totum saepe malum curatur. Saccharum vel Mel idem faciunt: Optimum tamen est Glycyrrhiza; mel enim paulò acrius est, unde cum adhibetur laxat vasa et leniter stimulat. Si pauculum Lactis admisceatur huic potui, tanto melior est.

B. Serum

De Lue Venerea

B. **Serum Lactis.** Aestivo praecipuè tempore, ut mense Majo, cum animalia depascuntur gramina.

C. **Hydrogalata** ex tribus partibus aquae cum una parte Lactis confecta, eodem praecipuè tempore aestivo.

D. **Ptisanae** de hordeo simplici cum Uvis exacinatis in Aquae sufficiente quantitate coctis cum addito pauco Succo Limoniorum.

E. **Cerevisia tenuis Neomagensis imprimis, Mol dicta** sine Absinthio, Lupulo, Carduo benedicto, recens usque dum per fermentationem acris non evadit optima quoque est.

F. **Sed à vino et potibus acribus debet abstineri vel saltem temperari:** Quoniam incitant in tentiginem Veneream et disponant ad inflammationem. Medicus enim novit, quam dira hic evadant minima mala, si inflammatio accesserit.

His si pro potu utatur aeger, tum Lotium fit valdè copiosum, et valdè lene (quia rationi aquae assumtae respondet copia urinae, nisi sudor intercesserit) hinc si mejit aeger, semper abluit id, quod in Urethra est, et sic moram impedit materiae virulentae in Urethra: et Lotium lene tum existens à putrefactione abest longius; quia aquae copia longè plus quam naturaliter fit superat copiam olei et salium, unde dependet Urinae acrimonia; tuncque talis minctio melius abluit partes adfectas, quam ulla injectio.

Notissimum est, simulac Urina evadit paululum stimulans, statim habemus tentiginem Veneream cum dolore, sed ea hic maximè vitanda est; unde praecipuè debet cavere aeger à Spiritibus volatilibus vel Aromaticis, quia ex dictis curam reddunt difficillimam.

1°. **Cibus imprimis debet esse de Cerealibus:** Avena, hordeo fagopyro, tritico, Oryza, secali, milio, omni forma praeparatis cum aqua vel jure Carnium, sed dilutiori; simulac enim nimis meracum est, iterum dabit in somno tentiginem veneream.

2°. **Olera** de Beta, Cichoreo, Portulaca, Endivia, Spinacia sunt optima, modo caveatur ne nimium piperis vel salis addatur.

3°. **Radices** Dauci, Scorzonerae, Sisari, Tragopogi &c. bonae sunt.

4°. **Lac recens ebutyratum** conceditur, ut et carnes et pisces fluviatiles, sed parva copia.

5°. **Carnes et pisces magna copia prohibentur:** quia corpus reddunt nimis libidinosum, et nimis facile putrescunt.

6°. **His addendum, sedulo cavendum esse ab assis et elixis animalium partibus, ab aromaticis condimentis, maximè stimulo salino,** qualis est in Ostreis, Cochleis, Cancris, Astacis, Botargo, Caveario, Anchiovis et similibus, in his enim Veteres novum stimulum et incitamentum in Venerem inveniebant. Uno verbo omnia vitanda, à quibus erectio libidinosa excitatur: nam certus sum, si Medicus hoc potest in aegro supprimere, in caeteris certò felicem fore, quod si non possit efficere, alia vix prosunt. Si Hippocrates unquam verum dixit, quo magis alueris, eo magis foedaris corpora impura, certè hic fecit.

7°. Maxime

de Lue Venerea.

7°. Maximè autem pinguia sunt vitanda, quia virus venereum nulli corpori facilius se insinuat; hinc carnes et pisces frixati sunt omnium pessimi.

Motus, cursus, equitationes, digladiationes, vectiones in rheda, in glacie omnium maximè vitandi sunt. Vidi plures casus in nobilissimis viris, in quibus dum peregrinabantur, infortunium hoc accidit: recusantes enim quietem, et hos motus facientes redditi sunt incurabiles: maxime omnium hoc facit Equitatio; nam concussus ille factus ad locum obsessum illum contundit et inflammat, et juvat sic vires veneni, ut fiant actuosae, unde fistulae insanabiles oriuntur.

Vidi egregium et nobilissimum virum, qui Romae adfectus simplici Gonorrhoea, valedicturus amicis, dum negotia publica curans in patriam rediret, convivia habuit opipara et postea per longum certè spatium equitavit in suo itinere, unde ea per omnem horam plus fudit materiae et acriorem: unde cum in patriam venisset, laborabat tam foedo fluxu, quam unquam esse posset: Consilia omnium ferè in Europa Medicorum efflagitavit; sed omnia incassum: Tractavi ipsum quinque mensibus, ter liberavi, sed semper recruduit; nam cellulosa urethrae ab hac materia venenata erat penetrata et exesa sic, ut in hac parte nunquam fere quiescente non potuerit fieri depuratio, nec viderim potuisse curari, nisi immissa syringa extrorsum incideretur urethra et sic malum auferretur, quod tamen in tam nobili viro proponere non fui ausus. Idem in militaribus viris vidi saepe, qui per annos vix curati sunt: et si tales ad vos novitios Medicos aliquando venire videtis, cavete, ne nimium promittatis: si quid fuerit spei in eo est, si per tempus substiterit, et ulcus ad extra venerit: tum exorta est fistula, quae non sanatur, nisi pars ad fundum usque aperiatur: Videtis ergo quid motus faciat externè adplicatus.

Somnus debet esse in his hominibus largior. Quoniam tempore somni materies haec coquitur; nam quo est spissior eo melior, quo tenuior eo acrior, sed cum in somno fit spissior, eo hic debet esse largior.

Retinenda tamen non est urina in vesica, sed emittenda, ubi quam minimum urget; materia ea enim noctu vix exit; id enim in lineis tenuibus urethrae foramini adpositus caudatur, hinc nimis retardata spissa nimis et acris fieret, quod per emissionem urinae praecavetur, utpote qua emittitur et abstergitur: Cum autem quies largior requiritur, saepe non sentienti diu restat materia, quod quantum fieri potest, impediendum.

Aër in curando hoc malo temperatus esto. Nocet aestuans, nocet et gelidus: sed manifestè est depellenda: ergo in moderato debet se continere.

His

De Lue Venerea

His rite observatis, facile, credo, curatur Gonorrhoea Simplex: his neglectis in alia mala pejora supradicta transit:

Sequitur **Curatio per Medicamenta.**

§ Haec autem curatio est duplex.

A. Chirurgica

B. Medica interna

Curatio Chirurgica tota consistit in eo.

A. ut laxentur viae, per quas exire debet materies.

B. ut materia tam inficiens quam inficientem continens adliciatur per eam viam, quam natura destinavit, id est extra Urethram.

C. ut corrigatur hoc virulentum quantum fieri potest in suo loco per contrarium antidoton.

D. ut caveatur, ne contagium deferatur ad ulla loca non adfecta.

1°. Omnium requiritur ut abluatur quam ocyssime post contagii suspicionem aut post commercium cum impura muliere omnis pars quae adtigit ejus corpus aqua pura cum pauco aceto et sale marino tepifacta. Hoc solum remedium plures homines imprudenter lapsos à malis servavit, et fuit Magni Brasavoli summum remedium, qui dixit, nil facit plus ad hunc novum morbum praeveniendum, quam statim partes lavare: Aqua autem pura si sumatur simpliciter, ut optimum menstruum est; si Aceti parva copia admiscetur, tum putredini resistit: et hinc in Hispania antequam coëunt, lavant eas partes succo Limoniorum cum pauco sale, veluti colem, scrotum, pubem, praeputium, glandem, urethrae anteriora &ct: Cavendum tantum ne nimia hic adsit acrimonia; nam tum fit inflammatio.

Ergo sumatur sequens v: gr: remedium.

℞. aquae Florum Sambuci Uncias XX.
Aceti Sambucini Unciam jß.
Salis Marini. Unciam ß.
Spiritus vini drachmas ij.
Misce.

2°. Debet haec ablutio repeti per duodecimam quamque horam.

3°. Post ablutionem hanc foveri debet omnis pars, quae adtigit loca infecta, in balneo, quae est cura omnium prima. Hoc debet esse emolliens, ut laxet spiramenta harum partium, per quae se insinuavit hoc virus, et sic vascula dilatet, ut fluida facilius extrorsum eant, et ut ipsa fluida dissolvantur.

Hoc

De Lue Venerea

Hoc Balneum quoque duodecima quaque hora repeti debet: Sed quare ablutio Balneo praeponitur? ut si quid sordium circa hanc partem collectum, illud se non immisceret balneo, et sic concentraret. Debet autem ablutio fieri reducto praeputio; nam observavit Sydenhamus, etiam hic se insinuare posse hoc venenum.

In tali Balneo per semihoram pars est fovenda, ut pori aperiantur.

Si rogatis remedium: en

℞. Florum Altheae
Sambuci ana manipulos ij.
Foliorum Parietariae manipulum j
Radicum Altheae Unciam ß.
Seminum contusorum Lini, drachmas ij.

Fiat cum sufficiente quantitate Aquae Communis decoctum Librarum trium, per pannum exprimendum, ut sit instar mucilaginis: addatur tum Saponis Veneti drachma una, ut vis foviens et mitificans integra servetur et tamen addit vis abstergens:

Antiquissimus Scriptor posuit curationem primam natae Gonorrhoeae in hac re.

Absint ergo Mercurialia, et Lixivia fortia: nam ego vel vigesies vidi, quod bona Gonorrhoea spatio viginti quatuor horarum transierit in pessimam inflammationem et Priapismum.

Haec est methodus simplicissima et optima tractandi hujus morbi; sed ne quis forte artem vilipendat, materiam balnei mutate omni triduo, ut et solus, ex ejusdem generis tamen medicamentis, et tunc res eodem redit.

4° Post hoc Balneum siccato mundatoque membro et dein lenissime expressa materia, ex cavo Urethrae fiat injectio. Intelligitis hanc debere fieri 1°. post Balneum 2°. postquam a Balneo pars utique mundata est 3°. postquam prius locus Gonorrhoeae simplicis post Balneum bene expressus et emunctus est a materia virulenta, quae a balneo forte extracta; nam si hoc non fieret, tum per injectionem nihil fieret aliud, quam ut materia morbi retrorsum per penem duceretur, quod quartae indicationi contrariatur. Ergo materies huic conveniens fiat tantum ex simplici decocto Malvae vel ex decocto statim dicto; nam sapo venetus non nocebit; cavendum, ne quid injiciatur, quod dolorem facit; nam simplex mutatio Cerevisiae, ut scitis, in nobis pueris facit Stranguriam, et tum fit indubitato species duritiei in pene: Ergo si stimulando injeceris, tum plus mali quam boni facis. Sydenhamus omnem repudiat injectionem, sed est certe nimis generaliter, quod etiam in illo viro non mirum; nam in Anglia illa fit per acria: quare ad finem etiam dicit, si fiat injectio, quod debeat fieri Aqua plantaginis et Rosarum cum pauca tutia.

Si

De Lue Venerea

Si videritis materiam evadere magis spissam et adhaerescentem, quod 1°. ex materia flava ad anteriora excurrenti, et 2°. à resistentia ab aegro sentita deprehendis, tum

℞ Aquae Rosarum
Sambuci ana Uncias ij
Aloës Lucidae, grana iv.
Mellis Optimi, drachmas ij.
Misce.

Hoc remedium injectum detergit, nec dolorem facit, nam in oculo absque dolore ferri potest, et est Viro Venereo adversum.

1°. Autem, Haec injectio debet fieri, quam Lenissime, ita ut potius lente adigatur Liquor, quam rudiori vi, tum enim nimis distendendo et impingendo nocet: nihil enim hic propositum, quam ut id quod Lateribus tenaciter adhaerit, abluatur saponacea vi, et 2°. ut id quod in emissariis haeret spissatum, diluatur paululum; Hinc tanto magis se insinuat, quo Lentius partes dilatat.

2°. Curandum, ne materia injecta ulterius adscendat in urethram, quam ad Locum, ubi morbus Sedem suam habet. Hic autem est in parte anteriori Urethrae. Hoc ne fiat, premitur Urethra ad duos digitos Latos retro à glandis fine, et tunc adigendo materiam, cavendo ne materia injecta adscendat ultra curvaturam urethrae ad os pubis, tunc enim semper oritur ardor Urinae.

3°. Quando hac ratione facta est injectio, dum educitur Syringa ex plumbo facta premitur etiam anterior pars urethrae, ut maneat aliquamdiu materia injecta in Loco affecto.

4°. Hoc facto, si magnus dolor et materia tenax adsit, prudentes debemus esse, nam qui praecavet hic Priapismum Venereum, est felicissimus in Curatione, qualis Priapismus semel ortus saepe per viginti quatuor horas durat, ita ut non nisi incisione venae praeputii possit profligari. Hinc tum vasa convelluntur, et Lotium non potest dimitti: Ergo si dolor adest, sumuntur semina altheae vel psyllii, vel malvae, vel cydoniorum, quae cum aqua in mortario miscentur, ut fiat spissum emulsum, ac est cremor Lactis recens, quod tepide immittitur partes oblinitum: nam dolor facit penem tumescere, quod hac applicatione impeditur ablato dolore.

5°. Omnis materia adstringens est vitanda, ut et omne calefaciens, ac valde corroborans. Ut est vinum rubrum et decoctum Hyperici &c. Omne quod de Alumine, Saccharo Saturni, vitriolo Martis, vel vitriolo Cyprio, de Alcohole vini, de Spiritibus aut Tincturis balsamicis, omne quod est Aromaticum, ipsi Balsami, ut Peruvianus, ipsa decocta adstringentia proscribo palam contra omnes fere Medicos.

Cogitatis forte, audax decretum contra tot summos in arte viros! Sed quid dicam A: A:? ipse proprios meos errores continuo corrigo.

Sunt

De Lue Venerea

Sunt hodie tres in Europa jactatores, qui volunt per unam injectionem aegros curare: sed vidi quod in illis semper summa fuerit infelicitas, nam primò quidem sistitur Gonorrhoea, sed eschara tantum inducitur osculis, unde impeditur fluxus materiae, quae instar vehiculi evellat et expellat, hinc crustula nascitur, sub qua ulcus generatur.
Hinc veteres Medici dixere, primum remedium debere esse injectionem, sed debere eam constare 1º: aquâ diluente. 2º: materia venenum corrigente. 3. materia quam maximè emollienti et laxanti: in his tribus viri hi prudentissimi omne requisitum injectionis posuere.
Formulas autem hic vobis dedi duplicem ob rationem. 1º: ut tuto iis utamini et 2º: ut habeatis exemplum ad alias praescribendas.
Dixi vobis ultimo, quod omnia quae hic ad adstringendum, corrodendum, condimendum adhibentur, aequaliter mala sint, quod sera saepe observatio et poenitentia docent. Dixi etiam me non audere corroborantia praescribere, quia fibras adcurtando oscula angustent: hanc ob rem damnavi, quicquid est ex alumine; nam multi quasi arcanum habuere in alumine cum aquâ diluto pro injectione adhibendo: Sal vel saccharum Saturni tantum hic nomen habet, ut nullus fere Chirurgus Gonorrhoeam curet, quin eo utatur. Vitriolum Martis summum est. et eo utuntur jactatores illi. Sic etiam est de Vitriolo Cupri, cyprio dicto. Huc etiam à nonnullis revocantur aquae Minerales ferratae, acidulae dictae, in quibus fons Spadanus Tonnelet dictus eminet, in quibus semper aliquid vitrioli ferri invenitur. Alii Alcohol Vini sumserunt, et cum Croco, Balsamo Periviano, Copaiba, myrrha, Mastiche, Olibano etc in Tincturam redigerunt, eaque diluta eos lavarunt: Hinc quidem Lacrymae minores, sed insidus et infelix successus: et hanc ob causam ab Antiquis Medicis haec fuere rejecta; nam cogitare non debetis, quasi haec à recentioribus fuissent inventa: nihil minus A: A: Antiqui ea jam cognoverunt, et experto eorum successu infelici damnaverunt.
Plurimi ex adstringentibus maxime, sua autem fecere decocta, ut ex Pentaphyllo, Radice Tormentilla, Lapatho Acuto et ipso Rhabarbaro, quibus cum melle rubro mistis fecere inde injectiones: sed si quid boni haec omnia habent, sane id habent omne ratione copiosae aquae et mellis, quibus plus solvitur, quam adstringitur.
Haec autem omnia ideo repudiavi, quia contrariantur nostrae indicationi.
Vidimus ex Antiquis Auctoribus, quod antequam Gonorrhoea virulenta Lui adesset, qui contagium contraxerant, et Gonorrhoea corripiebantur, se liberos à Lue venerea viderint, quam tamen tum nondum curare sciebant, uti tradit Antonius Brasavolus, qui ideo Gonorrhoeam vocat curam Luis venereae: et Alexander Petronius tanti nominis et acris judicii in Italia Medicus dicit, quod Gonorrhoea sibi commissa se ipsam sanat, si remedia contra eam adhibita contrariantur, modo Gonorrhoea

sit

De Lue Venerea

sit, à qua absint mala illa phaenomena, ut materia flava, vel fusca, ardor urinae, dolor, calor &c. Ergo adstringentia obstant naturae proposito. Quaeso jam vos A: A: quantum audet homo postquam natura hunc exitum salutarem fecit, ne ad interiora veniat malum, si ab initio mali velit hanc viam claudere. Dices praebeo contra venenum Antidoton: sed tale specificum non est: Nec ipse talis est Mercurius, qui tantum malum expellit, non corrigit, uti Sydenhamus etiam dixit: Caetera autem, quae adhibent nonnulli, faciunt tantum escharam in locis, quae est emissariorum ultimorum in loco solutae cohaesionis liquidum exhalantium constrictio ad finem: hoc autem fit Lapide infernali: sed tum natura sub hac eschara facit inflammationem et suppurationem, sicque extrema illa vasculorum separat: Illi autem putant, quod si extrema lacunarum in escharam constringuntur, quod tum sanant: sed tum in lacunis reconditur haec materies, et ibi fovetur, et per viginti quatuor horas ad minimum continetur: et sic fistulae profundae fiunt.
Dixi de Remediis Chirurgicis;
sequitur

Curatio Medica interna

Crediderim semper ex intellectu potestatum naturae, quod natura nunquam creavit venenum animali, quin simul creaverit aliud corpus, quod illi directè oppositum sit.
Quaedam venena tantum relativa sunt ad aliquod animal: v. gr: Viperae venenum, quae in vesicula ad dentes reposito utitur ad confectionem suorum alimentorum, si ab homine deglutiatur ad drachmam, nihil nocet, sed sanguini vel minima quantitate puncto aciculae illatum mortem infert indubitato exitio. Hinc illud venenum fertur à quibusdam corporibus, quae tunc necessario expugnare debent illud virus.
Sed specificum tale remedium veneno venereo in Gonorrhoea oppositum, hactenus inventum non est. Excussi omnes Auctores, qui in Africa, America et Europa scripserunt, nec inveni ullum, qui bona fide asserat, tale notum esse, aliter directè sanarentur aegri.
Producunt quidem Mercurium, Radices Chinae et Sarsae Parillae: sed profectò omne quod hae radices faciunt, in eo consistit, quod totum corpus faciunt quasi hydropicum, et sic simul venenum expellunt: sed sic nunquam operatur Antidoton. Idem verum est de Ligno sancto et Sassafras, quae per sudores venenum expellunt totum corpus turbando et mutando.
Quaeritur jam quid sit faciendum?
Sola Purgantia hic faciunt rem, et semper, certò, ac tutò sanant, licet molesta cura, quod primi Auctores de Lue venerea jam dixêre. Sed quale purgans debet esse? quod certò determinat, id est, quod per alvum certò suum effectum facit, quoniam animadverti semper, si homo sit tam obstinacis naturae ut fortibus Catharticis adsumtis resistat, tum semper ei nocent; nam faciunt febriculam, quae si non in alvi solutionem transit, tum mala producit. Hinc debemus talia eligere, quae certò determinant.

Debent

De Lue Venerea

Debent esse ex Hydragogorum classe. Sic autem dicuntur ea, quae data corpori sano totum sanguinem dissolvunt, et quasi putre faciunt, redduntque impotentem retineri intra vasa: hinc nisi eveherentur vel per alvum vel per sudores mala etiam producunt: Res est comperta quam evidentissime. Homo sanus sumat Radicem Jalapae per successivas decem dies, ille quotidie aliquot Libras aquae excernet totus pallebit &c; imo ex Amicissimo mihi Medico Phelipeau didici esse inter venena summa, si tanta quotidie subministretur interedenda scammonii copia, ut quotidie alvus solvatur; sic enim ille homo tandem per diarrhoeam consumitur. Ergo Hydragoga bonum solvunt sanguinem, et in aquam convertunt, quod cum sit, tum, ut recte Helmontius dicit, laudabilem humorem convertunt in putridum liquamen et sic aquam educunt in corpore ante suam adsumtionem non existentem, sed a se factam.

Si nunc quaeritis, quaenam haec sint, est praecipue Agaricus, Cassia maxima copia adhibita, Radix Jalappa Americana, quae hoc facit omnium maxime sine magna febre vel calore: Manna a qua adsumta magna copia cum levi acido mera aqua exit: Radix Mechoacanna alba et nigra, quae eadem facit cum Jalappa. Senna imprimis Alexandrina, Scammonium ejusque Succus et Resina. Turbith gummosum: Haec omnia sanguinem in aquam convertunt, et deorsum determinant.

Miramini, quare non memorem Mercurium? Sed nunquam soleo ipsum corpori ingerere, nisi viderim per alia fieri non posse. 1° ideo, quia video eum habere tale quid indomabile, ut semper fere relinquat vestigia sui tristissima, solvit enim in fibris nostris id quod maxime facit vigorem in nobis, et cavet ne ad seram perveniamus aetatem. 2° Etiam ad morbum levissimum Levia sunt adhibenda remedia: ergo hic ad Gonorrhoeam simplicem non egemus Mercurio, suo Loco eum commendaturi ad morbi indicationem, in quo prodest.

Remedia composita hic sunt

A. Extractum Catholicum dictum, quod est eccoproticon, phlegmagogum, melanagogum, cholagogum et Hydragogum. Hoc est certissimum hic remedium, si prudenter alternisque diebus usurpetur, quod veteres jam sciverunt.

B. Electuarium Hydragogum Sylvii.

C. Pilulae Cochiae majores, quae in hominibus alvo obstinatiori optimae sunt, sed eum calefaciunt insigniter, hinc in corporibus calidis non sunt adhibendae.

Horum omnium autem effectus est,

1° Omnia in corpore crassa solvere.

2° Soluta per intestinum rectum educere.

3° Stranguriam quandam inducere, unde clare videtis ea virus solvere, promovere ut fluctuat, et deorsum terminare.

Jam

de Lue Venerea

Jam multi sunt homines, qui haec ita adsumere non possunt, quin vomitus vel saepe convulsiones oriantur. Oportet ergo, ut instructus sit medicus talibus formulis, quae semper adsumi possunt, vel alia pro substituat, qualia non inveniuntur.
Sumite ergo 1º. si homo satis difficulter moveatur, et 2º. sit fortis et in vigore aetatis sequentes formulas, a quibus tamen pro variis et aetate et viribus est cavendum.

℞ Resinae Jalappae grana vij.
Sacchari purissimi. grana iij.
Scammonii optimi. grana vj
Stibii antimonii. grana IV.

Misce accurate in mortario in pollinem, dein cum gutta una aut altera Balsami Peruviani fiant Pillulae quinque pro una dosi.
Haec autem dosis tuta est homini forti: et in hac formula bene videtis, me Resinam Jalappae sumere probasse, Saccharum addo ut Resinam dissolubilem reddat, quae alias saepe in glomerem colligitur, et sic exit: Antimonium Diaphoreticum addidi, quia non novi utilius arcanum ad irritanda paululum intestina, quam si levis stimulus addatur, quo fiat melior mistio: haec autem Catapotia nunquam vidi fefellisse, quin fortiter purgarint: adsumuntur autem facile hae pilulae sine ullo odore aut sapore molesto, quoniam facillime inaurari possunt.
Alterum est

℞ massae pilularum Cochiae majorum, drachmam j.
Fiant Pilulae quindecim pro una dosi.

Haec nunquam fallit, ut optime monuit Sydenhamus. Monendum tantum, quod magis conveniant pituitosis et lentis corporibus, quam nimis calidis et plethoricis, quoniam ingredientia sunt calefacientia.
Sed multi abhorrent tantum numerum pilularum: his igitur detur sequens.

℞ Extracti Catholici Grana XV.
Fiant Pilulae quinque pro una dosi.

Verum si quis adhuc delicatior sit, et ab hoc etiam numero horret huic propinetur sequens formula, quae sub minima mole eundem praestabit effectum.

℞ Sacchari albissimi grana ij
Scammonii optimi grana vj
Trochiscorum Alhandal grana ij.
Terebinthinae Venetae, granum j.
Misce fiant Pilulae tres.

Si scammonium saccharum sibi junctum non haberet, saepe non dissolveretur. Videtis a me addi Trochiscum Alhandali; quae vox est Arabica significans rotulam Colocynthidos: calefacit maxime externis si applicetur, et suppurationem facit, quando cum scammonio miscetur instar bilis amarissimae disponit ad purgandum.
Haec sufficiunt pro Pilulis: securi autem esse potestis, quod si aegro forti juvenique haec dederitis, semper inde movebitur: si aeger facile purgetur,

tunc

De Lue Venerea

tunc dimidium ejus sufficit, si facilius, tertia pars; si facillime, tum quarta tantum pars detur.

Methodus autem Pilulis hisce utendi haec est.

R Pan: Mart: obductum
Facta placentula in cochlear ponatur et aquae submergatur, tum fit maxime plicabilis, et tum pilulae involvantur quae tum cum potu Chocolade vel Caffe facile deglutiuntur.

Sequitur Concinnatio Formularum Ratione Pulverum.

Quarum prima esto

R Resinae Jalappae grana V.
Saccari albi. grana. ij
Scammonij grana. IV.
antimonii diaphoretici grana X.
Conterantur in Mortario vitreo.
ut Fiat Pulvis tenuissimus, pro una dosi.

Hic nunquam fallet, et citius quam praecedentia operabitur.

Sequitur alterum R. Radicis Jalappae
——— Mechoacannae ana grana XV.
Saccari albissimi grana IV.
Fiat Pulvis, una vice sumendus.

Solumen magis minori pretio constans, hinc vilibus optimum.

Tertium sume

R Radicis Jalappae electae grana L. vel ad summum drachmam j.
Saccari albissimi grana IV.
M: Fiat Pulvis pro una dosi.

Hoc iterum pauperibus convenit optime. Considerandum autem hic, quod Radix Jalappae eo sit melior, quo 1°. sit ponderosior. 2°. fracta magis resplendeat, et 3°. cum aqua contrita lac exhibeat melius; sed si sit levis, porosa, et inter digitos conteri potest, tum Radix Jalappae est exesa et minoris pretii. Miramini forte me dicere de ejus exesione: imo S.S. et hic inhabitant saepe vermes, ut et in pomis Colocynthidos saepe videmus.

Bolus a ΒΩΛΟΣ apud Medicos est materies medicamentosa, quae forma satis solida, tamen flexili una vice deglutitur. Haec est Concinnatissima hic formula.

Primum hic esto R Cassiae recentis, drachmam j.
Mannae Calabrinae, drachmas ij.
Scammonii optimi, grana vij.
Misce Fiat Bolus exiguus, et oblato involvatur, tuncque facillime deglutitur.

Alterum

De Lue Venerea

Alterum est.

℞ Resinae Jalappae grana v.
Scammonii optimi grana vj.
Vitelli Ovi. grana iij.
Misce in Mortario Vitreo, ut fiat Bolus.

Hic operabitur certissime. Vitellus ovi est menstruum, cui simile non cognoscimus. Hoc corpus si miscetur corporibus aquae non dissolubilibus, facit ut statim solvantur; hinc Gummi, Resinae, Olea, omnes Balsami nativi, si cum eo conteruntur, possunt in aqua misceri.

Tertia autem haec formula commodissima est, eamque et ipsis infantibus dare possumus.

℞ Radicis Jalappae drachmam j.
Terebinthinae Lucidae grana vj.
Misce. Fiat Bolus pro una dosi pro junioribus, et pro ratione aetatis, ut supra diximus minuendus.

In quartum

℞ Extracti Catholici grana xv.
Balsami Copaibae. guttas xv.
Misce ad ignem, ut fiat Bolus.

Sed si et haec renuantur ab aegris, et ipsi potius haustus adsumere velint, hoc primus sit.

℞. Radicis Jalappae scrupulos ij.
Sacchari albi. grana v.
Misce Fiat Pulvis tenuissimus: Huic terendo in mortario vitreo sensim adfundatur aqua Communis Unciam jß vel ij. Conteratur usque dum lactescens liquor supernatet, cuique adfusioni drachma jß vel ij aquae, qui effundatur et superadfundatur ad dictam quantitatem usque; Tunc Pulvis manet iners, et haustus facile deglutitur, cui adde
Syrupum Rosarum Pallidarum unciam ß.
Fiat Haustus pro una dosi.

Hoc tamen notare debetis, quod hic Saccharum admisceo, nam vis Radicis Jalappae maxime consistit in Resina, ergo nisi cum Saccharo contereretur, resinositas non admisceretur. Mira autem hujus est penetratio: Si hora matutina octava dederis, quin quadrante post operetur.

Cum infantes purgari debent, & nihil offerri potest, tum

℞ Radicis Jalappae grana x.
Cum Saccharo emulge ut ante.
Fiat Haustus.

Nauseanti autem potest dari in potu Chocolade paullum crassiori, tum enim Radicis Jalappae nec odor nec sapor percipietur.

Alterum

De Lue Venerea

Alterum exemplum est.

℞ Scammonii. grana x.
Sacchari. grana ij
Contere diu in pollinem in mortario vitreo adfundendo aquae communis drachmas ij. et emulgeatur Liquor Lacteus effundatur, quod tam diu continuandum, do, nec reliquiae manent foeces nigrae in fundo, et sic possumus in aquae drachmis vj. totam hanc vim habere. Cui autem admisce
Syrupi diacnyci vel
——— Rosarum pallidarum drachmas ij
Fiat Haustus.

Si magis velim tegere meum remedium, possum addere olei Cinnamomi guttam j. quod non sistit vim purgantem.

Tertium esto
℞ Agarici optimi drachmam ß.
Radicis Jalappae grana XL
Trochisci Alhandali. grana iij.
Misce. Fiat Pulvis, qui cum
Sacchari granis iij vel V. Emulgeatur
Cum aquae Unciis iij. addendo
Syrupi de Spina cervina drachmas V.
Fiat Haustus pro una dosi.

Hoc est omnium validissimum purgans, quod conveniens fortissimis tantum hominibus. Sequuntur

Decocta, quorum primum statuo

℞ Agarici drachmas ij
Foliorum Scrophulariae aquaticae vel major:
——— Sennae drachmas vj. vel nod: Dr. j
Radicis Jalappae drachmam j
Salis Prunellae drachmam ß.
Coque per ½ horae cum aqua, quae dissolvat resinam et habeamus decoctum ad ℥ß. admisce tum
Syrupi Rosarum pallidarum. Unciam j
Fiat Potus, cujus dosis Uncia j. omni quadrante horae.

Hic potus optimus est iis, qui difficulter purgantur.
In hac formula folia scrophulariae admisceo pro foliis Sennae, quia nemo ferre potest illa folia Sennae per sex vices, quin nauseet. Hinc Chirurgus Britannus docuit folia scrophulariae cum iis cocta efficere, ut nausea extinguatur et vis purgans exaltetur. Salem Prunellae addo ut Resinae solvantur.

Secundum est:
℞ Radicis Mechoacannae drachmas ij
Turbith gummosi. drachmam ß.
Salis prunellae. drachmam j.
Coque cum sufficiente quantitate aquae communis, spatio ½ horae ad Uncias IV—vj. dein admisce Mannae Calabrinae drachmas IV vel vj.
Fiat Potus.
Dosis sit omni quadrante horae, Uncia j.

Hic

De Lue Venerea

Hic Sal Prunellae tanta copia additur, quia Radix Mechoacanta tota quanta Resinosa est. Turbith gummosum non est resinosum sed oleo,,sum, hinc aqua simplici est dissolvendum. Mannam addo, quia est blan,,dissimum demulcens remedium.

Haec credo satisfacere possunt vobis, ut possitis dum nobiles tractatis quotidie variare formulas, ut gloria Arti, et gratia Medico concilietur.

Qui utuntur hac methodo, ut purgantibus Gonorrhoeam sanent, dolent sibi casus obcurrere, quibus non prodesse possunt: Sydenhamus dicit, se saepe dum hoc modo Gonorrhoeam virulentam curare vellet, non potuisse alvum solvere, quia, cum his purgantibus uterentur, in convulsiones vel syncopen incidebant.

Quid tum agendum? nam nonnulli sunt palato adeò teneri, ut à pur,,gantibus fastidientes vix fallas, nisi prima vice.

Tum hoc faciendum, ut vires purgantes ipsis dentur. 1° per Enemata, vel 2° per Externa abdomini adfricta, quod in Gonorrhoea fit facillimè cum facile iis imponas esse Balsama, quae partibus inferioribus, quippe affectis prosunt.

Fit igitur Enema primum sequens.

℞. Radicis Jalappae
—— Mechoacannae ana drachmas iij.
Foliorum Sennae drachmas ij
Salis Polychresti drachmam j.
Cum aqua communi per semihoram coque ad colatu,,ram unciarum vij, cui adde
Syr: Rosar: Pallidarum uncias ij.
Misce fiat Clysma.

Hoc clysma si applicetur, eos movet aeque fortiter, ac si supernè ra,,dix Jalappa erat adsumta. Tali autem homini hoc clysma proderit, qui satis fortis et juvenis est: sed si est debilis tum tertia pars sufficit.

Alterum esto.

℞ Electuarii Phlegmagogi Sylvii unciam j
Syrupi Rosarum Pallidarum uncias ij
Aquae Communis uncias vj.
Misce fiat Clysma.

Sed haec mane jejuno corpore sunt ingerenda, et alvus prius est exoneranda, ut sic vacuo abdomini committantur et diu retineantur: Jejuno stomacho debent injici, quia omnes venae eo plus adtrahunt, quò corpus est magis va,,cuum, et cum ex ultimo colo trahantur infecti humores, hinc tempus evacuatio,,nis est longè magis idoneum; debent autem retineri tam diu, quam fieri possit et impediri ne rejiciantur; nam tum non evacuant tantum faeces cras,,sas, sed et alterum effectum, scilicet purgationis praestant:

Haec sunt repetenda et continuanda, donec constet virus venereum vel correctum, vel effectum esse, saltem alternis diebus.

Ultima

De Lue Venerea

Ultima denique purgandi methodus fit per Linimenta.
Haec autem sunt formulae Medicamentorum impraegnantissimae viribus Catharticis, reductis in eam speciem, ut ante ignem cuti calidae inlinitae possint adigi in sanguinem et per venas versus cor et pulmones ferri, sicque in arterias pervenire et eundem tunc praestare effectum, ac si ore essent haustae.

Pro Laxanti et purganti commendatur maxime Unguentum Altheae compositum in omni emollienti incoctum: nam si infantes alvum obstinatissimam habent, tum mane adfricto hoc Unguento optime purgantur: sed hoc hic non sufficit, verum instituenda sunt alia remedia ex purgantibus fortissimis.
Tale sit jam Unguentum de Arthanita. Igitur

Linimentum primum sit.

℞. Unguenti Althea compositi
Arthanitae aa Unciam j.
Misce.

D.
Mane denudatus venter ponatur ante ignem; sumatur pannus de Lana, quo diu fricetur cutis donec penitus arida sit, tuncque adfricetur hoc unguentum et vix fallet, quin Aeger purgetur fortissime, et si diu continuetur, quidem ad animi usque deliquium.
Vel sumatur

℞ Unguenti Arthanitae unciam ſß.
Nervini
Martiati aa Unciam j.
Misce et adplicetur ut supra.

Tota nostra cutis cribrum est, cujus orificia venosa, si rite detersa sunt, bibunt omnia quam optime. Fortis vis purgans consistit forte in non decima parte grani, et si illa evanuit, purgantia non amplius purgant ut in Helleboro, Agarico et Senna videmus. Cum nunc illa purgantia oleo infunduntur, reliqua nihil agunt, et cum olea facile penetrent, hinc corpori interno stimulus imprimitur. Nemo Pharmacopoeorum componit ex Aloë composita, quin purgetur.
Jam videamus, quo modo et quamdiu omnia haec purgantia in Gonorrhoea sint usurpanda.
Potestas horum omnium refertur ad haec quatuor capita.

1°. Solvunt sanguinem ejusque serum, et omnem partem tenacem reducunt in aquam fluxilem per omnia vasa.
Ergo facillime hinc moveri possunt per oscula Venarum vel Arteriarum Mesentericarum. Unde patet in his tamen requiri moderamen, nam si nimis purgatur corpus, nutriri desinescit, et vasis dictis nimium debilitatis natura aliquando ita adsuescit evacuationi huic, ut per eam omnes corporis humores educi possent.

De Lue Venerea

2°: Valent omnia haec praeter solvendi virtutem, etiam virtute expellendi ad alvum deorsum per intestina et urethram

Scio per experimenta hanc vim ipsis inesse, sed quaenam praecise sit haec vis, nescio, nec hoc ad me attinet. Quod autem aeque ad urethram deducant, quam ad intestina, patet clare, quia omne purgans acrem reddit urinam. Nonne ex Rhabarbari Granis sex tota tingitur urina? nonne Cassia urinam nigram reddit? Mannam si bibamus, nonne sentimus stimulum in urethra? nonne ex Senna adsumta oritur Stranguria? Hinc sunt hae in his remediis qualitates specificae; nemo enim fortè purgat, quin Stranguria diarrhoeae superveniat; ut notavit jam noster Dictator.

3°: Hinc horum vis concurrit cum proposito naturae

Nam postquam Lui Venereae accessit Gonorrhoea, tum excretione natura voluit curtissima via virus susceptum expellere, et impedire sic quominus in corpus ingrediatur, unde afferebat vehiculum seu Lacrymosam hanc materiam; Jam cum purgantia solvant liquida, et per urethram deducant, hinc naturae opus adjuvant.

4°: Nunc ergo hac ratione Gonorrhoeam sanant. Quaenam itaque est Gonorrhoeae ex hac sententia sanatio? Quod materies est spiritus venenatus, quae in muliere haerebat virum inquinante, id est, tam subtilis, ut accubitu, concubitu, sudatione in Lecto &c. se insinuet: sed hoc cur postea sic non inficit homines? quoniam, postquam in viris nata est Gonorrhoea, et in foeminis est propagata, quae cum suscipiebant hoc venenum, illud inviscabatur muco vaginae, qui dein partibus viri imprimebatur. Hinc sanatio est hoc susceptum venenum educere. Unde clare patet remedia dicta conspirare cum instituto naturae.

An ergo Medicus non sanat? non nisi quatenus naturam juvat, nam si contra naturam egeris, nil proficies. Verum saepe non curamus sic, ut olim fuit, nam manet aliquando Liquor blandus naturalis instar Olei Amygdalarum; sed hic non est amplius malum venereum magis, quam si cicatrix destillat aliquid materiae blandae, quia vasa per quae fluxit materia tenax nunc paulo majorem copiam boni liquidi transmittant: sed hoc non debilitat vires, non inficit alios et nullius momenti est.

Quamdiu his est utendum? Sane quotidie, si ardor in urethra, dolor magnus in parte, in reddenda urina &c. si Stranguria, si tumor inflammatorius adsit in pene, scroto &c, tum tamdiu purgantia sunt adhibenda, ut etiam quamdiu materia exit copiosa, crassa, dum exarescit flava, fusca, rubella, vel viridis, tum necesse est, ut purgetur quotidie.

Hae regulae nos docent an sit purgandum, nec ne? Cum enim haec dicta remittunt, tum alterno die faciendum; si magis remittunt, tum tertio quoque die, et ita sensim minuenda sunt de dies, et doses majores quoque minuenda eadem ratione.

Quando

De Lue Venerea

Quando eo perventum est, tum ad ea purgantia veniendum, quae vim quidem habent determinantem, sed simul corroborantem et consolidantem, et confugimus ad Rheum; cui admiscemus mollissima balsama, calefacientia maxime redundantes. Levissimum forte omnium Mastiche est, quod simul condolidat. Ergo

℞. Mastiches drachmam ß.
Rhabarbari drachmam jß.
Therebinthinae recentis grana x.
Fiant secundum artem moderato igne Pilulae
singulae granorum trium.

Dosis sit duodecim vel quindecim de die, superbibendo Liquorem purgantia adjuvantem, ut serum Lactis, vel potus Coffé, Thee &c: vel sumatur

℞. Mastiches grana v.
Rhei. grana xx.
Olibani grana v. quae si non satis purgent adde
scammonii granum j vel ij.
Misce fiat Pulvis. pro una dosi.

Haec continuanda plus, minus, donec videamus, copiam minui, acrimoniam tolli, colorem ad albedinem accedere.

Manet forte fistula, sed, mihi credite, eam non tolles candelis cereis, injectione acri &c: imo sic exacerbatur malum, quod tantum est sola dilatatio vasorum.

Curatio ergo hac ratione sola instituta felix et unica bona est.

Sed dicetis, omittis Balsamica, ut Terebinthinam, Balsamum Peruvianum, Balsamum Copaibae &c. imo A: A: haec sunt remedia optima ut ex Gonorrhoea simplici fiat inflammatio Testium et Epididymi tumores. Sane mihi saepe fassus est Clarissimus hujus Academiae Professor Anatomiae et Chirurgiae Joannes Jacobus Rauw, sic semper procurari, ut materies per partes vicinas et totum corpus propellatur.

Ultimum remedium in corpore juvenili plethorico faciunt refrigerantia, demulcentia imprimis tempore aestivo, si ingens dolor et ardor in urina reddenda vel membro virili, et molesta erectio quotidie impediat curam. Tum debet in corpus ingeri aquosa materies, sed deliniens, ut sunt

Flores Altheae
Rhaeados
Sambuci, qui hic satis laudari non possunt
Verbasci.
Folia Endiviae
Lactucae
Parietariae
Portulacae

Radice

De Lue Venerea.

Radices Altheae.
Glycyrrhizae.
Scorzonerae.
Cisari.
Thragopogoni.
Semina Quatuor frigida majora.
. . . . . minora.
Plantaginis.
Pomorum Cydoniorum.
Papaveris albi.
Psyllii.

Ex hisce fiant haec Emulsa.

℞ Seminum IV frigidorum majorum ad Unciam ß.
Cum aqua Stillatitia Florum Rhoeados, fiat Emulsio ad Uncias XVIII. adde deïn
Salis Prunellae drachmam j
Syrupi quinque Radicum aperientium Unc. ß.
Bibat omni hora quantum vult.

℞. Seminum Cydoniorum Numero ij
Papaveris albi Unciam jß.
Portulacae drachmas ij
Fiat Emulsum Unciarum XVIII vel XX.
Cui adde
Nitri puri drachmam j
Syrupi diacodii Unciam ß.
Sumat ut prius.

Decoctum sit.

℞. Foliorum Altheae
Parietariae aa manipulum ß.
Florum Altheae
Rhoeados aa pugillum ß.
Radicis Glycyrrhizae Unciam j
Cisari Uncias iij
Seminum Papaveris albi contusorum Unc. j.
Coque in sufficiente quantitate aquae communis ad Libras iij. Bibat Uncias iij omni hora.

Alterum sit.

℞ Radicis Chinae
Liquiritiae
Salsaeparillae aa Uncias ij
Coque in sufficiente Quantitate Aquae Communis ad Libras iij. Bibat ut supra.

Hoc est blandissimum, minime fastidiosum, sed simul pretiosissimum, hinc ditioribus tantum praescribendum.

Haecce Methodus posterior est, qua in Lusitania, Hispania, Italia fere sola utuntur, cum Regiones sint fervidae, et hinc materies Gonorrhoeae sponte sine purgantibus satis dissolvitur. Unde Medici ibi tantum haec praescribunt, suis aegris raro adhibentes purgantia, nisi ubi materia nimis spissa est,

et

et sic tum naturae coeloque suo fervido opus committunt, satisque feliciter, sed valde tarde sanant, nam vel per menses protrahunt.

His omnibus adplicatis Gonorrhoeae simplicis semper certa est inte,gra fit curatio sine ullis symptomatibus metuendis, adeoque corpus sic curatum immune erit ab omni recidiva, quod per multa experi,menta possum bona fide adseverare.

Si fuerit Gonorrhoea praemissa cum aliis speciebus Gonorrhoeae virulen,tae, quando alia simul symptomata praeter jam descripta adsint vel quando ipsa Labes Venerea simul infecit corpus, non curabis hac me,thodo morbum, sed tunc alia opus est suo Loco indicanda.

Haec nunc data methodus confirmanda est Auctorum testimoniis ne putetur tantum nostri aut temerarii instituti: et dico quod suffragi,um optimorum Auctorum habet.

1°. Vir egregius Hippocratis Galeni et Recentiorum doctrina imbutus Bra,savolius dicit: Gonorrhoea est effluxus non seminis, sed pi,tuitosae materiae, quae mista est tabo acri venereo: adeoque venenum venereum ab illa materia pituitosa, quae effluxit, distinxit. Pergit autem: Curanda est

1°. Purgatione repetita non adstringentibus.

2°. Injectu materiae emollientis.

3°. Inunctione unguenti refrigerantis.

Quod in Italia conducit. Ego potius malim ad fomenta vel balnea confugere. Timebat autem ille Vir unguentum populeum, Nutritum, de Cerussa, quibus praecavebat inflammationem.

4°. adstringentibus roborantibus.

Attendum iis demum est, ubi certi simus penitus expulsum esse malum. Ego hujus Loco subposui balnea subadstringentia.

5°. Si his non cedit saepe oritur Lues.

Ergo tunc ad decocta Guajaci aut Mercurialia est decurrendum. Vide Paginam 674. & 685. Aphrodisiaci ex Editione nostra Leidensi.

2°. Nemo in curanda Lue venerea majorem famam habuit, quam L. Botal,lus. Hic autem dicit: Sanatio Gonorrhoeae fit

1°. Lavanda virga et scroto.

2°. Fovenda virga aqua calida.

3°. Fovendi sunt testes vino penetranti.

Ego hujus Loco tantum subposui balneum cum pauco sale vel spiritu matricali. &c.

4°. purgatione cum Rheo, terebinthina et aloë.

Non audeo hoc facere in Gonorrhoea simplici, sed in ultimo stadio, ubi materies tantisper fluebat sine veneno, ibi adhibui: semper vidi, quod, quando terebinthina in initio datur, tunc fere semper producat tumo,rem testium: Aloë etiam est solvens omnium fortissimum: Cur ergo non magis illa Hydragoga sine adstringentibus adhibeamus.

5°. Injectu Lenissimorum in Virgam.
6°. Leni emollienti diuretico.
Hoc erat in ultimo nostro decocto.
7°. Missione Sanguinis interposita;
qua ex singulari opinione in nullo morbo carere voluit, eaque convenit quandoque in corporibus fortissimis debacchantibus. Pagina 872."
3°. Bernardus Solitarius summus etiam Medicus dicit:
Tota curatio est facienda Lenientibus et infrigerantibus.
Quod in Regionibus fervidis semper est observandum, quia ibi calor coeli sponte solvit humores.
4°. Omnium maxime eruditissimus fuit Alexander Trajanus Petronius, qui dicit Pagina 1023.
1°. Gonorrhoea curatur difficillime.
quod Romae est verissimum.
2°. Curatur in his qui adriguntur [illegible] est omnium difficillime et fere nunquam.
3°. Refrigerantia Laxantia fere conveniunt.
5°. Si nunc his vultis addere Clarissimum Thomam Sydenhamum videbis illum aliorum methodos examinasse, et post varia tentata debuisse ad hanc methodum redire.
Priusquam de aliis methodis curandae Gonorrhoeae dicam, ad secundam Gonorrhoeae speciem accedo, qua singulorum opportunitate hanc indicabimus; nam v: gr: aliquando adstringens injectio omnino debet adhiberi, et sic de caeteris, ut suo Loco videbimus.

Secunda Gonorrhoeae Species.

Haec est, ubi non modo anterior illa pars urethrae superius (pagina 53) indicata adfecta est, verum ubi tota syntaxis cryptarum mucilaginosarum in parte anteriori penis turbata est.
In priori Specie sedes morbi erat tantum circiter ad pollicis distantiam supra finem Urethrae; ibi Morgagni demonstravit in superiori parte urethrae esse cryptam adeo magnam, ut cavitate sua granum hordei capere possit, cujus tamen orificium satis exile est. Si finditur haec Lacuna, pariès internus habet plurima orificia intra se, sed minora: hinc non est unum corpus constans uno orificio, sed habenda est pro crypta, nam ex variis Locis hic est humorum adfluxus.
Terraneus observavit, quod ab urethrae initio duae Laterales Lacunae sint satis magnae, statim pone glandis finem; dein adscendendo sursum sunt parvae glandulae; ad pollicem à glande est magna Lacuna Morgagniana, superius est Lacuna Cockburniana.
Praeterea ubi glandulae Cowperi emittuntur et glandulae superius memoratae [illegible], patet quod plurima hic sint emissaria.
Guilielmus Cockburn dicit praeterea, quod volens inquirere, quis esset earum effectus, adhibuerit dextram Chirurgi Saint André: is enim findit penem, et cera implevit Lacunas Morgagnianas, et quando fistula syringis

Lacunae

De Lue Venerea

Lacunae illius orificio erat adligata, tunc 1º materia per latera emissarii diffudit se in tot emissaria, quot in eam Lacunam desinebant, tumque illa materies se diffudit per omnes canales emissarios omnium reliquarum Lacunarum usque ad curvaturam penduli penis, unde commercium cum omnibus Lacunis inter se invicem adparuit: 2º maxime notabile erat, quod illa materies etiam transibat in ipsam fungosam substantiam urethrae. Si ergo datur haec communicatio, tum pro variata pressione per arterias mucus ille desudabit per urethrae cavum; verum ubi major erit resistentia ad orificium magnae hujus Lacunae, quam ad substantiam fungosam urethrae, necessario materies diffundetur in hanc substantiam:

3º Quando haec injectio fiebat magno impetu, venae urethrae circumfusae extrinsecus etiam implebantur:

Hinc et hoc malum eo potest propagari et hinc in sanguinem.

Jam sub intellectis facile poteritis videre, unde tam difficilis sit curatio hujus mali, quando sedes Gonorrhoeae non est in Lacuna anteriori et maxima, sed quando etiam illae Lacunae superius positae usque ad curvaturam penis et Emissaria Cowperi inficiuntur simili labe, qualem in Lacuna Morgagniana descripsimus.

Illa nunc Gonorrhoea, quam hic tractamus, est tantum quando tabes venerea se diffudit per illas Lacunas, ita ut nondum attingat Glandulas Cowperi, neque ut jam eroserit fungosam urethrae substantiam, sed ubi venenum diffunditur per omnes Lacunas, usque ad emissaria glandularum Cowperi, et ubi nondum pervenit ad substantiam cellulosam urethrae, multo minus ad ejus venas.

Phaenomena, quae hoc malo praesente oriuntur haec sunt:

1º Semper plus materiae funditur

2º Lentior fit destillatio: Nam cum evadunt tanto minores quam adscendunt magis et cum longiorem et compressam viam debet transire, hinc fere semper destillant humores, sed lentiori fluxu, id est, si prima Gonorrhoea obtinet, stillicidium celere est, sed in hac specie stillicidium fere semper continuatur.

3º Omnium symptomatum Gonorrhoeae primae pejor fit conditio.

Causa hujus mali est.

1º Acrimonia major veneni venerei. Observatur de his,

1º Quod si mulier amplexa virum cum ardore venereo extra ordinem constrictum pulchritudine viri, aut majori forte orgasmo venereo adfecta est, tunc illud venenum communicatum longe pejus est, quam si tantum officium praestat obediendo, et corpus suum vero invenienti pretio conducta (ut solent) prostituendo: Dixere veteres, quod non irata vipera ubi hominem pungat, vix laedat veneno suo, et contra: Sic etiam revera res se habet in muliere tabe venerea adfecta, ubi cum homine sano rem habet. Praeterea

2º Putredo

2°. Putredo diu retenti mali huc multum facit. Hinc ergo imprimis ex his duabus causis solet oriri. Sed mulier quae admittit virum, qui laboravit pessima Gonorrhoea, si statim ab eo commercio admittat sanissimum hominem, sed summo cum ardore venereo, tunc venenum illud longe violentius adficiet sequentem, et exempla docent, quod mulier pura ab infecto Lue Venerea viro molita, alii admisso malum communicaverit et ipsa sana manserit.

3°. Diuturnitas simplicis Gonorrhoeae et quidem geminatio. Si quis Gonorrhoea laborans haec opera repetat, sic irritat partes, ut quo membrum rigidius sit, eo plus compressa sit Urethra eiusque partes vicinae. Hinc eo tempore dum agitatio violenta accedit facile materies ex lacuna majori distribuitur per canales laterales, quod didici multis exemplis in Juvenibus nobilissimis.

4°. Adstringens cura primae Gonorrhoeae, quae impedit quidem ad tempus effluxum materiae virulentae, sed tamen malum pejus reddit: (α) si tabes venereus evadit adeo acer, ut illa orificia erodat, et liquor fuscus exeat, tunc crustula oritur ad omnia illa loca, sed illa post aliquot dies rumpitur et Gonorrhoea multo pejor fit. Hinc in prima cura tam sollicite summus ut hanc curandi methodum arceremus.

(β) Si homo Gonorrhoea prima laborans coactus fuerit per hyemem versari frigori, tunc materia excerni solita nunc vero retenta potius sursum repit, quam per poros contractos deorsum, ut saepe observatum fuit.

(γ) Si medicamenta calida spirituosa adhibentur, quae faciunt dolores, exsiccationes et quaerelas, solida oscula vasorum faciunt arescere, et fluida faciunt coagulari, et quoniam ex una quaque crypta est communicium in omnia, debet premi liquidum per communicantes tubulos.

Nihil etiam refert, an hoc factum sit per medicamenta adstringentia, aluminosa, Vitriolum, Saccharum Saturni &c.

5°. Geminatio mali. Quando Gonorrhoea prima adest, nihil pejus est quam erectio penis, nam tunc Urethra comprimitur, quod quo magis fit, eo plus comprimuntur lacunae, et tunc retropressa materia in cellulas, nova causa addita malum fluit ad superiora. Hinc ii qui Gonorrhoea virulenta adhuc laborant, saepissime eam pejorem reddunt, si tandem ausu temerario certe audi rem habeant cum muliere.

6°. Summus calor hypocausti vel foci, febris per medicamenta, per clima, vel motum. Summus motus hoc facit, imprimis equitatio, unde tam sollicite in prima Gonorrhoea a nobis prohibita fuit. Cursus, saltatio et venatus simul nocent, nam per haec omnia facile materies destinata eo, ut effluerit extrorsum, magis retro pellitur, et secundam Gonorrhoeae speciem facit.

Effectus

De Lue Venerea.

Effectus harum causarum est.

1°. Erosio usque in fabricam spongiosam urethrae.
Antea recitavi experimenta, quae docebant, ex lacuna cryptas in omnes esse commercium, et si eadem arte urgeretur, quod tunc materies injecta deprehenderetur pervenisse ad Prostatam, Glandem et Cellulosam urethrae substantiam, quae in flaccido veretro collabitur quam maxime, unde Regnerus de Graaff urethram ut canalem simplicem depinxit, quod Fredericus Ruyschius postea correxit. Hinc ergo cum haec substantia ponatur inter duas membranas, tunc si iter est ex lacunis in has cellulas, tunc hoc semel effusum venenum non iterum eo redit, unde venerit, sed se divergat per totam substantiam cellulosam, et dum hoc facit, glandis caput et bulbus urethrae adficiuntur erosione, quod numquam fallit, nec talis curatio facile procedit.
Ex hac erosione quid postea fiat, pertinet ad alium casum, de quo postea.

2°. Reductio materiae in sanguinem et Luis venereae productio: quae aliter ex Gonorrhoea prima numquam fit. Hoc facile intelligitis, cum patuit etiam, quod venae reducentes sanguinem extravasatum in cellulas ibidem abscissae, quum recipiant materiam in cellulas injectam, quod tunc quoque reducant materiam venenatam ad sanguinem et diffundant per corpus, unde tunc vera Lues venerea oritur.
Nunc sequitur hujus mali

Diagnosis, ut cognoscere et bene curare possimus hunc morbum.

1°. Si causae recensitae adplicatae fuerint Gonorrhoeae primi generis maxima suspicio est, inde ortum iri vel jam ortam esse hanc speciem secundam. Si ergo videtis hominem Gonorrhoea prima laborantem adplicare unam ex his caussis, jure merito ipsi poteritis praedicere, quod summum incurrat periculum Gonorrhoeae secundae accipiendae.

2°. Ex tabi effluentis copia. Si enim incipit post caussas praegressas materia effluens pervenire ad magnam copiam, scimus malum esse deductum versus loca designata.

3°. Ex loco altiori unde exprimitur materia Gonorrhoeae. Laborans Gonorrhoea homo mane, ante redditum lotium premat urethram ad finem glandis, exit materia; si ad pollicem altius premit, et tunc adhuc nova sequitur, diffusa est materia, et secunda Gonorrhoea jam laborat. Si tunc in loco suspensorii ligamenti penis et circa perinaeum premat et tunc adhuc materia Gonorrhoeae proveniat, nullum dubium remanet.

Prognosis est Difficilis sanatio.
Et tunc occurrit prognosis Alexandri Trajani, qui addit, quod saepe tota vita incurabilis reddatur. Praxi operam ubi dabitis, experiemini vera hujus viri effata, quia post exulsum jam venenum tamen lacunae illae effundere persistunt materiam serositosam, nec fabrica illarum lacunarum eorumque orificiorum reduci potest ad pristinam arctitatem:

Saepe

De Lue Venerea

Saepe generosissimis praesidiis indiget hoc malum, ut Brasavolus dixit: illa autem erant decocta Ligni Guajaci vel Solut. Mercurii; sed ne haec quidem hanc aliquando sanant, uti fatetur ipse.
Distinguo tamen, quod, si nullum adest signum jam praesentis Luis Venereae, audeo spondere talem sanationem eo usque, ut ad connubium cum pura muliere possit se committere tuto sine metu ullius contagii, et ut possit prolem procreare. Sed non possum promittere, quod non mansura fluxio materiae pituitosae sit. Ratio hujus rei est, quia naturalis fabrica omnium harum arteriarum et Lacunarum cum suis emissariis sunt paulo latiora et paralytica facta. Hinc si hi homines delabuntur inter Medicos Lucrigaros, deducuntur ad longiorem curam, et tandem exhausti corpus et emuncti crumenas, aliquando insanati dimittuntur.

Curatio

Principium quod debemus servare in curatione, est, ut auferamus causas, quae Gonorrhoeam hanc faciunt, inter quas nulla major est, quam adrectio Penis. Hinc arctissima diaeta est observanda, adeo ut saepe coactus fuerim eorum vitam sustinere V. gr: jure rasarum, radicum dauci, hordeo, avena, tritico cum sola aqua, et macerare miseros illos homines balneis, et hinc semper vidi optimum effectum.

Evitandus est error. Quando Medici aut Chirurgi ignari Theoriae dicunt, hoc in casu roborandum esse locum, tum ad causam quartam perveniunt ipsi.
Si nunc hoc non fit, neque tamen curatur malum, tunc simulac illa orificia compescuntur virulentia nondum exstincta, et omnibus cryptis Lacrymantibus obstructis, oritur statim mirabilis, et omnino intolerabilis constrictio per totum membrum, perinde ac si totum corpus penis comprimeretur, et tunc quando urina est reddenda, debet per angustissimam et contosam viam transire. Ruyschius demonstravit in figuris, quod membrana fungosa urethrae transeat ad posteriora urethrae et glandem, caeterum non communicans cum corporibus cavernosis penis. Hinc tumor ille urethrae ambit totum penem, qui tum intumescit maximopere, sed deorsum, quia corpora fungosa penis non inflantur, sed sola substantia fungosa urethrae impletur. Hinc exitus hic est Methodi adstringentis.

In administratione Medicamentorum omnia debent fieri, ut in prima Gonorrhoea, sed fortiora, et maxima Laxatio debet adhiberi, donec certi simus omne venenum expulsum esse; et tunc demum ad subadstringentia remedia superius memorata est deveniendum.

Haec

De Lue Venerea

Tertia Gonorrhoeae Species.

Haec fit, quando venenum inficiens per urethram corrosam pervenit eo, ubi sunt duo emissaria et orificia lateralia glandularum Cowperi.

Illa duo orificia semper lege naturae ibi exonerant se, ubi Lacunae Morgagnianae et Terranei desinunt, id est ad curvaturam penis sub osse pubis. Totum territorium primum supernè destillabat deorsum; sed haec orificia patent juxta ductum urethrae versus Prostatas et discedunt lateraliter versus perinaeum, hinc sita sunt ad latera urethrae, ubi Prostatae desinunt.

Nunc ergo si malum Venereum eo usque pervenit, et sede iis orificiis insinuat, quid fit? Haec orificia ponuntur sub musculis acceleratoribus urinae, hinc succus eorum exprimitur, quando hi musculi agunt in ejaculando semine vel urina, tunc ergo ducitur ad locum angustissimum urethrae, ne impetus seminis vel urinae hanc partem laedat.

Hinc haec emissaria longa tres pollices latos possunt manere vacua in statu sano, quando nihil seminis aut urinae ejicitur, sed dilatata cum sunt, et veneno venereo infecta, stillant majorem copiam, ibi continuo adgregatam.

Illo loco orificia ratione infecta, sunt vacua vel plena: tunc temporis plena, quando musculi acceleratores illa, et glandulas jamjam exprimunt. Quando nunc hi musculi bulbum urethrae comprimunt, inter illos et partem urethrae comprimendam sitae sunt glandulae extra musculos, sed harum emissaria decurrunt partim extra urethram, partim per eam, donec sub osse pubis pervenerunt; hinc hae glandulae nunquam evacuantur nisi à plenitudine, quod rarò admodum accedit, vel ab agentibus iis musculis in ejectione urinae aut seminis, et post illam expressionem vacua sunt illa emissaria.

Si nunc haeserit materies venenata circa illa orificia, haec facilè inrepere potest ob viae declivitatem usque ad ipsas glandulas.

Si ille tabus haec orificia adfecerit, erit

1°. Difficultas emittendae urinae; nam tumor exiguus ibi generatus brevi se ostendet; verum quando tale venenum primo intravit vix sentitur.

2°. Nunquam haec species observata fuit, nisi praegressa secunda specie, nec illa nisi prima praegressa fuerit. Si ergo hae duae antecesserint, et hoc symptoma accidit, medicus tutò potest concludere, hanc tertiam speciem adesse.

Causae eaedem sunt ac Gonorrhoeae secundae, sed acriores et violentiores.

Signa: nisi accurata diagnosi instructi sitis, jactantiâ temerariâ periclitabimini de famâ vestrâ.

1°. Si

De Lue Venerea.

1°. Si incipit difficultas oriri in reddenda urina in curvatura penis post praemissas duas Gonorrhoeas, et si locus hujus affectus tunc pressus nil materiae exsudat, sed haec materies vel sponte et continuo destillat antrorsum vel interius cadit. Si malum tantummodo se insinuaverit in hunc canalem, statim it ad illas glandulas, et oritur dolor molestissimus, ac tumor manifestus in perinaeo sub prostatis, id est ad latera penis ibi, ubi penis adcrescit ultimo intestino recto quarta parte pollicis anterius. Si nunc hic adparet dolor et tumor, in reddenda urina nil mali sentitur, hinc Medici falluntur, quia putant hoc symptoma ad hanc Gonorrhoeam nihil facere. Vos autem postquam Gonorrhoea adparuit, hoc statim detegetis.

2°. Homines illi in singulis emissionibus urinae emungunt has glandulas, quod in nulla alia Gonorrhoea fiebat ad finem reddendae urinae, tunc exit copiosa materies, subfoetida ichorosa: quod est signum certissimum: nam in alia Gonorrhoea exibat fere semper ante redditum lotium. Si nunc vultis esse certi de praesentia hujus mali, tunc accedat aeger mane post somnum ante redditam urinam, tuncque fiat primo experimentum primum Gonorrhoeae primae, quod postquam factum est, et nihil amplius inde prodit, tunc Gonorrhoeae secundae experimentum fiat. Hoc facto prematur urethra in perinaeo, non adtingendo latera, nullus exibit humor, tunc digiti ponantur quarta parte pollicis à nexu urethrae cum intestino recto, et ibi latera glandularum premantur, si tunc exprimitur illa materies, certi sitis adesse Gonorrhoeam tertii generis.

3°. Diversitas materiae eductae ab illa, quae in praecedentibus prodit: Quando materia in prima et secunda fluit, homogenea est et spissa, sed materia hic effluens est semper magis fluida, et magis corrupta quia diutius stabulat. Foetor hic etiam, rarò in Gonorrhoea prima aut secunda, nisi aestivo tempore, observatur.

4°. Insanabilitas. Quia hanc nunquam curabis methodo priori, quoniam malum haeret extra urethram. Homo sanissimus conatur viginti quatuor horarum spatio sexies urinam reddere. Si nunc velitis ponere eas evacuationes fieri proportionali tempore, intra quatuor horas semel urinam reddet, adeoque sexies evacuantur hae glandulae viginti quatuor horis.

Prognosis haec est.

1°. Glandulae (quae sunt magnae articulo indicis digiti medio et ad compressionem complicatae figurae) integrae consumentur, et materies putrida inde facta difficulter exprimetur; quia pondere suo ibi manet: hinc decubitus in lecto suadendus est aegro in curatione. Situs loci, emissariorum longitudo et angustia hic multum faciunt.

2°. Exesio membranae glandulas has investientis. Hae glandulae per membranam cellulosam nectuntur vicinis partibus, ut omnes aliae; haec ergo etiam exedi: unde

3°. Ulcus

De Lue Venerea

3° Ulcus fiet in membrana adiposa circa urethram. Ulcera harum glandularum non ibunt in urethram, sed in perinaeum, et haec membrana cellulosa flaccida est vera sedes omnium hic fistularum; sine quo est mobilior, eo materies excidens de loco illuc insinuabit. Simulac nunc tale ulcus factum est materies non amplius decurrit per urethram, sed inter fungosos sinus illius membranae dispergitur.

4° Dispersio mali per totum panniculum adiposum in vicinia. Urethra ambitur Prostatis, hi ambiuntur membrana cellulosa continuata illi, quae Glandulas Cowperianas investit; hinc simul ac haec exesa est, tota membrana Prostatarum etiam inficietur. Hinc urethra etiam usque ad glandem per commercium non in substantia fungosa, sed in membrana cellulosa communi adficietur. Sed membrana cellulosa ubi glandulae haerent, retroit versus collum vesicae et intestinum rectum; hinc hoc malum se quoque insinuat per omnia illa loca.

5° Ulcus fistulosum in perinaeo curatu difficillimum.
1° Quia cuniffaria Cowperiana nil amplius destillant, dum materia jam exoneratur per aliam viam in membranam cellulosam: et
2° Quia membranae cellulosae natura est cedere vel flatui; hinc oriuntur miri tumores in hac membrana hinc inde dispersi.

6° Si hoc malum sic proserpit, tunc omnia loca vicina inficit, ut perinaei loca, scrotum, prostatas, urethram, penem, vesicam, intestinum rectum, imo ad femora usque se disperget. Homini studioso oritur Gonorrhoea primi generis; adplicat quaedam remedia, sed frustra; accipit gonorrhoeam secundae dein et tertiae speciei; consuluit Medicos: incepit habere tumores in glandulis et Chirurgo tractandos dedit; neglexit hic hujus mali ignarus, et omnia haec recensita mala orta fuerunt:
Imo malum hoc potest pervenire usque ad ipsum Montem Veneris, ubi tunc etiam ulcera facit:
Omnium autem pessime est, si usque ad femora se dispergit.
Videtis, quam mira rei facies, et quomodo haec mala à simplici Gonorrhoea possint in horrendam Luem Veneream degenerare.

De Curatione

In Curatione non dicam de Symptomatibus (ut pote quae aliud iterum malum efficiunt, unde de iis postea seorsim dicam) sed tantum tractabo eam, quae debetur ipsi malo, quando glandulae adhuc se exonerant per urethram:

Curatio consistit in Prophylaxi, id est in praecautione, ne haec species oriatur.
Consistit scilicet in eo, ut omnis Medicus caveat in Gonorrhoea prima aut secunda, ne causae tertiae Gonorrhoeae oriantur. Si nunc hae

causae

causae à vobis praecaventur, antequam occurrant, tunc nunquam haec orietur, utpote nunquam fit, nisi praegressâ primâ et secundâ neglecta vel male curatâ.

Si vero ipsum malum jam existit, tum

1.° Curatio Gonorrhoeae secundae requiritur, adeoque omnia illa repetenda sunt.

2.° moderatissima repetita expressio illarum glandularum, ut bene purgentur, non tamen laedantur. Hinc ergo tunc aeger jubetur jacere in lecto, ne à curvatura penis versus illum locum perpendiculariter situs deorsum sit; et omni quadrante horae leni compressione expurgentur glandulae.

3.° Si his ritè, sed (ut fieri solet) irrito factis tumor manet vel augetur; tum alia curatio incumbit! Hic debemus omninò omnia laxantia repetere, et tentanda est formatio abscessus extrorsum versus cutim in perinaeo, quod ipse effeci; et cum eas partes non possimus exstirpare, ut tunc conemur rumpere illam partem, abscessum illum maturare et factum ocyus pertundere lanceola, tuncque curare ut ulcus.

Hinc ergo statim vocamus peritos Medicos in consilium, dicimus historiam morbi, proponimus sententiam, et dicimus ignorare nos alia remedia. Tunc dicimus metuere, ne glandulae introrsum ruptae divergant suum virus per membranam cellulosam, hinc unicum esse, ut viam hic faciamus extrorsum. Sed dicetis, tunc illae glandulae caesae sunt. Fateor, sed homo potest vivere sine his, et alias totus certò morietur intra proprios foetores suffocatus.

Accipimus bulbos ceparum et alliorum, hos tegimus cineribus, et superponimus testam figulinam, et huic ignem moderatum imponimus, ut subputrescant. Tunc hi bulbi contunduntur in pulpam, et ad hujus uncias duas admiscetur farinae avenae uncia una cum semisse, butyri insulsi uncia una. Coquantur in pultem cum lacte, et pultem applica ad illa loca, ubi tumores illi inveniuntur; quod continuamus donec integumenta vix cohaereant: vel

℞ Farinae Lini
Secalinis ana unciam j.
Florum Altheae
Melilotae ana pugillos ij
Foliorum Altheae
Verbasci ana manipulum j.
Coquantur in sufficiente quantitate lactis recentis, addatur
Olei Lini uncia j.
Fiat secundum artem Cataplasma.

Hoc applicato circa illa loca adeo labefactamus cutim, ut materies luc cogatur transire.

Nunquam frigus est admittendum, donec incipiat oriri mollis tumor mucronatus ad exteriora, tunc magis adhuc emollimus, et dein presso abdomine et cruribus, immissoque in anum digito, illos extrorsum premimus et lanceola pertundimus: tunc semper nihil laedimus.

Postquam

De Lue Venerea

Postquam ille locus sic pertusus est, tunc debet depurari; nam omnino glandula fungosa sua substantia est scabra: ergo tunc imponimus Terebinthinam cum vitello ovi et aloë, quod optimum est digestivum.
Sinus et sordes si magna adparent, debent Unguento Aegyptiaco depurari, quod est optimum detergens et mundans in hoc casu remedium.
Retinemus hoc, donec certi sumus omnia rite depurata esse.
Si quis per fortia remedia haec movere velit, tanto plus auget malum, et tandem nescit, quo confugiat.
Possem exempla Auctorum recitare, ubi videretis hoc factum fuisse.
Celeberrimus quidam inter eos dicit, occurrisse sibi talem casum, cui tumor et dolor ad vesicam oriebatur, et tunc stillicidium minuebatur.
Postquam febris supervenerat, advocatus fuit alter Peritissimus Medicus et dedere Turbith Minerale ultra decem grana, plus quam decem vicibus.
Cum malum continuò augeretur, vocarunt Chirurgum peritissimum, qui cum duobus Medicis casum ignorabat.
Faciebant omnia, sed nil prodibat materiae, et post aliquot dies pustulae pessimè per totum corpus oriebantur. Etc.
Haec serviunt exemplo, quomodo summi in Arte Viri delabi possint in summos errores, si in curandis morbis non adtendant ad fabricam partium.
Si ergo fluxus desinit, et succedit tumor, dolor, ardor in perinaeo, nec materies pressa amplius exit per urethram, tunc certi sumus ulcus fieri extra urethram, et credite, hic est molestissimus nodus, in quem incidunt Practici, qui omni conatu omnem operam impendunt, sed irrito, ut per Mercurialia hanc materiam tunc expellant: sed ex dictis facile patet, quid in hoc casu noto Medicus facere debeat, scilicet supra indicata.
Sinus si pertusi sunt et bene depurati ab omni materia virulenta, curabitur plerumque malum; si non, certissimè orietur pessima Lues Venerea.
Quando hac ratione allicimus materiam extrorsum, habemus fistulam, sed nunquam desinentem in urethram (quod maximè est notandum) sed in perinaeo extrorsum.
Quo latius ulcus dilatas, eo felicius curabis, nam nil nisi omnes partes adfectas possumus hinc allicere eisque exitum parare: sed cavendum ab omnibus turundis imponendis, quae exitum impediunt materiae.
Interne addimus digerentia summa V. ex Aloë: si videmus floccu-losos esse parietes ulceris, tunc adhibemus Unguentum Aegyptiacum, quod facit escharam, quae tantum per duodecim horas permanet, et dein iterum suppuramus, et hoc continuamus tamdiu, donec videmus floccos detersos esse, et fundum ulceris esse carnei coloris. Tum tantum digestivum commune immittimus, allicimus diversa ... extrinsecus, sed tamen vulnus adhuc apertum tenentes, et ubi bonum pus prodit, certi sumus tabum venereum ablatum esse: sed certi sitis antequam cicatrix obducatur, quod omnis tabes sit expulsus, si bonum pus, fundus naturalis coloris sit, et febris desiit, tum demum cicatricem obducere licet: si fungositates permanent

℞. Unguenti Basilici Unciam j
Mercurii Praecipitati albi, drachma ßij.
Misce.

hoc

de Lue Venerea

hoc est medicamentum, quo Leniter fungosa ulceris Latera inducimus, un de Eschara fit optimo remedio: nam Mercurius Praecipitatus Ruber nimios dolores facit: hoc vero sine magno dolore consumet partes, et tunc observamus, an fundus parietes non amplius sint flocculenti; sed incarnati cum Papillis carneis instructi. Vel

℞ Unguenti Aurei unciam j
Mercurii Praecipitati albi drachmas ij.
Misce
et applica ut supra.

Haec sunt suppurantia mollissima et Escharam inducentia.
His factis Medici (nam in tali casu, ut diximus, prudentis Medici est, alium sibi socium adsciscere) concludunt, an liceat vulnus occludere.
Claudere autem hoc licet ex conditione puris, fundi et Labiorum vulneris laudabili.
Tunc Mercurialia omittimus et imponimus Unguentum Basilicum simplex, si tunc caro luxuriat, imponimus iterum digestivum.
Si vero his omnibus factis, apparet quidam sinus, subeditatur nova materies, tunc ilico debetis ptyalismum vehementissimum instituere, nam hic multa organa concurrunt, unde hic non possumus semper discindere, et nova vulnera facere.
Haec Salivatio instituenda est aperto vulnere prudentissime, tunc enim materia expelli adhuc potest.
Inter hanc salivationem Locus circa vulnus flaccidissimus est tenendus, et impedimus ne coëat vulnus, antequam omnis materia expulsa est:
Tunc si curabiles sunt aegri, certo curantur.

Quarta Gonorrhoeae Species.

Ubi finis est vesicae urinariae in mare, ibi sphincter arcto vesicae collo circumponitur, moxque amissa musculari tunica vesicae sola interior membrana mucilaginosa exit. Haec gracilescens statim paululum adscendit sursum, et simulac egressa est, ilico cingitur tubere glanduloso, quem Graeci Προστάτης seu Janitorem appellarunt.
Hanc scitis in viris satis magnam esse, et sic concrevisse urethrae, ut recondat ejus iter undique intra suam substantiam; et hinc urethra in viris proprie hic non libere procedit, ut in caeteris partibus penis, sed quasi per montem hunc penetrat.
Procedit ad sesquipollicis longitudinem, et ibi Prostata in duodecim partes fere semper divisa ex singulis partibus unum emissarium emittens.
Ad eundem illum locum duo orificia extrema hiantia duarum fistularum ex vesiculis seminalibus productarum decurrunt per fungosam urethrae substantiam, et aperiunt se inferius: tum et ex Morgagnianis scitis, ad hunc locum etiam dimitti canalem communem ex utraque vesicula.

Ergo

De Lue Venerea

Ergo praeter poros exhalantes urethra hic loci habet quindecim orifi, cia tam patula, ut setam porcinam admittant.

Hic est ille locus periculosissimus, quem pono sedem Quartae Gonorrhoeae speciei.

Si placet vobis in memoriam revocare, naturam et horrendam illam velocitatem sibi assimilandi humores sanos, quae est in tabo venereo et quam penetrabilis sit haec materies; si consideratis hic esse verum descensum urethrae, adeoque hic esse tardissimum quasi motum tum facile intelligitis, quod si materies virulenta eo usque penetriat ad ductum urethrae, ut hunc appellat, omnium facillime inficii hos quindecim canales, et quatuordecim loca anfractuosa Prostatae et vesicularum seminalium:

Hinc causa hujus Quartae Gonorrhoeae fere semper est Gonorrhoea Tertii generis praegressa, cujus sedem posuimus in glandulis Cowperianis sub osse pubis, quae mucum suum praeparatum per fistulas longas in hunc locum urethrae infundunt. Si hujusmodi mala hic haerent, et contigerit, ut materia retroeat, tum ad haec loca facile penetrare potest.

Omnia emissaria Lacunarum mucilaginosarum in urethra virili communicant inter se, ita ut una impleta et altera impleatur: hinc si etiam Gonorrhoea secundi generis inficiat omnia haec emissaria, facile ex hac oritur.

Sed crediderim, hoc a nulla re frequentius contingere, quam a perversa methodo curandi Gonorrhoeas priores per adstringentia et Escharotica.

Solent scilicet multi imperiti Chirurgi praescribere aluminosa, Mercurialia, Salina, imo Vitriolata, ut injiciantur in pertinaci Gonorrhoea ad sistendum materiae fluxum; quod si fecerint, natura repugnat, inflammationem facit sub crusta: sed si bene succedit, non potest nasci nisi Eschara; nam simulac patuli alicujus ulceris superficiem tango his remediis, facio locum constrictum aridum, et si summopere successit, locus ille penitus mortuus fit a constrictione solidorum, et coagulatione fluidorum, et crusta fit, sub hac vita insurgens inflammatione et suppuratione facta illam iterum separat.

Hinc omnes hae injectiones sistunt quidem Gonorrhoeam, sed antequam natura eam amovit; hinc illa materia evacuare se non potens repercussa decurrit plerumque ad hunc locum.

Nihil autem tum est frequentius, quam ut oriatur malum, quo aegri ne guttam urinae reddere possunt, vesica interim plena, unde anxietates summae oriuntur, et vesicae Paralysis.

Vidi virum viginti quatuor horas stantem et desperato animo terras pulsantem, quia ne guttam urinae dimittere poterat.

Vidi

Vidi tunc Lethales haemorrhagias excitatas fuisse à Chirurgis, contra mea monita catetherem immittentibus in haec Loca inflammata.

Demonstravit Graaffius, et postea Ruyschius, et omnium accuratissimè Littrius, quod Prostata sit congeries duodecim ampullarum membranosarum, fungosarum, quae in formam coni circumpositae formant prostatam, singulae suis membranis coercitae non adeo communicant inter se, sed una membrana communi omnes extrinsecus investiuntur.

Arteriae innumerabiles ad quamlibet harum veniunt, et fabrica glandulosa secernunt Liquidum Lapidissimum, sine ullo odore aut sapore, Oleo Amygdalino simillimum, estque balsamicotaton, quod nervis defendendis inservit.

Hoc liquidum, ut demonstravit Leal. Lealis, est nutrientissimum pabulum futuro homini recens devecto ex vesiculis seminalibus.

Demonstraverunt, quod singulae ampullae uno emissario distincto Loco sic deponantur, ut nulla pars in urethra sit, ad quam ex hoc loco projectus Liquor non perveniat, et quidem ponuntur ratione aperturarum vesicularum seminalium ita, ut nulla gutta ex iis possit procedere, quin misceatur huic Liquido. Hinc facile videtis, fieri posse, ut, si miasma venereum unam harum glandularum affecerit, ulcus in eo orietur, et si omnes duodecim, totus ambitus corrumpetur in tabum.

Verum si nunc hae partes inficiuntur, quae ducunt ad vesiculas seminales, assurgit malum supra Urethram; nam Morgagni demonstravit tria esse emissaria; unde si in talem aperturam venerit miasma, facile it in vesiculas seminales; sed hae ponuntur altè in Perinaeo Vesicae Urinariae, et Intestino Recto adnexae, et commercium habentes cum vasis deferentibus Testium: &c.

Si nunc hic loci malum fuerit natum, tum situs declivis facit, ut longè difficilior sit Curatio, quam in aliis Gonorrhoeae speciebus.

In Gonorrhoea primi generis constitit, quod materia Gonorrhoeae, loca per quae transit, inflammet; hinc haec materia per totum urethrae tractum transiens illam inflammat, excoriat, et saepissimè ulcerosam facit.

Praeterea difficillima est hujus hic loci materiae expurgatio, quia semper fluit in Latibula.

Novi quidem nonnullos temerarios et imperitos Chirurgos dicere, se haec loca repurgare posse suis remediis; sed A: A: non debemus verbis confidere.

Rogo illos Chirurgos, quid est Locum glandulosum corruptum expurgare? nonne est per Arterias injicere humores bonos, et projicere tanta copia et vi, ut possint illud corruptum et corrumpens eluere? atqui nihil aliud in eo hactenus agit efficax Medicina, quam ut disponat partes, quominus resistant expurgationi, et ut dein eluat:

Rogo, si nunc malum hic haeret circa Prostatas et vesiculas seminales, quid tum habemus? fere nihil, nisi orietur tanta vis vitae has partes sic disponens.

Novi

De Lue Venerea

Novi, Chirurgos tum habere candelas cereas, imbutas Mercu-
rialibus, Salinis &c. Sed his ad sedem mali pervenire non possunt, et,
si hoc succederet, tota urethra concresceret.
Urethra hic loci est omnium tenuissima, nam hic non est tecta
Corporibus spongiosis, et ambientes eam partes omnes laxae sunt;
nam nil nisi membrana cellulosa, et membrana fibrosa prostatae,
cum cellulas illas glandulosas in ejiciendo semine exprimens adest.
Cum autem ex Chirurgicis pateat, nullam partem facilius inflamma-
tionem et suppurationem accipere, nullam difficilius curari, quam
membranam cellulosam; hinc omnia hic debent fieri fistulosa et
sinuosa &c.

Quo versus haec se pergunt? Prostatae condumtae in tabum, si
deponunt omne hoc corruptum, spes est (licet dubia) expurgationis;
si emissaria adhuc sunt aperta, si vero sunt occlusa, tum haec ma-
teria oberrat per loca vicina; hincque potest malum hoc propagari
per Vesicam urinariam, Intestinum Rectum, Vesiculas semina-
les, Vasa Ejaculatoria, Epididymides, Testes, Scrotum, Perinaeum &c.
imprimis si vires vitae debiles et labefactatae sunt, quod in his om-
nibus plerumque obtinet.

Hac ratione vidi meis oculis contigisse non tantum, quae Mar-
cellonius descripsit, sed et longe tristiora; nam vidi totam Vesicam
Urinariam, qua parte cincta erat membrana cellulosa, in tabum
transiisse, et pus decidisse, sed semper putrefactissimum:
Vidi penetrasse in cavum intestinorum, et fecisse, ut faex juxta
scrotum exiret:
Vidi et attrectavi casum, ubi a parte superiori perinaei descendit,
et populavit omnem ambitum:
Vidi vesicam urinariam sic exesam, ut in pubem, perinaeum scro-
tum urina continuo destillaret: tumque nihil est remedii.
Vidi hos miserrimos homines habuisse satis tolerabiliter, si nil
agerent, nisi assumerent talia, quae prohiberent mali propagatio-
nem, et ut loca tenerentur aperta, donec natura expurgationem
daret per suppurationem benignam; nam caetera nihil juvant;
etenim hi homines omnes salivationes frustra perpessi erant.
Vidi ipsos decoctorum curam suscepisse cum satis bono successu,
quoad reliqua, sed illa loca tamen penitus expurgari non potuerunt.
Vidi eos aegros sustulisse suffumigationes, et exteriora inde melius
se habebant, sed ad interiora illa loca minosa non poterant pervenire.
Quando hac ratione hoc vidimus, credimus nobis eam Prognosin
esse planam incurabilitatem. Hoc nunquam revelamus aegro, sed
consulimus et monemus, omnia externa medicamenta non esse ad-
hibenda, nisi incisiones Chirurgicae fierent, quantum partes permit-
tunt:

Si

De Lue Venerea

Si in Lue Venerea, verbi gratia Os Tibiae est infectum et facit Gummi Tophum vel Exostosin; si tunc Chirurgus Lanceola incidit Largo vulnere ad os usque, et tum Locum illum sic retinet apertum, ut nunquam possit claudi, donec pus bonum fiat, tunc natura saepe separationem facit; et hac ratione retroitus materiae impeditur, quantum fieri potest; sed si hoc relinquitur, semper interiora versus recit.

Quod hic promittant Chirurgi, se hoc per caurentia posse efficere, falsum est; nam illa omnia angustant, solus culter bene dilatat.

Curatio.

Simulac videmus, in tali Gonorrhoea urgere, statim praescribimus talem diaetam, quae nihil pinguis in se habet, adeoque decoctum panis, uvas passas, Corinthiacas, Endivias, Lactucas, Acetosam cum paucissimo jure carnium et sale cum paucissimo aceto, quod tantum mali non facit.

Corpus quantum fieri potest, per laxantes, emollientes, debilitantes, sed simul putredinem arcentes cibos nutriri debet.

Tunc ex iisdem emollientibus paucis salinis admistis balnea instituimus.

Postquam totum corpus ad depurationem dispositum est, salivationem instituimus ea indicatione, ut omnis humor fiat tenuissimus, et ut à vi naturae quotidie depurari possit.

Nunc A: A: haec Curatio potius spectat ad Curationem Luis Venereae per totum corpus jam dispersae; sed tamen non potui abesse, quin ejus historiam et curationem hoc loco recenserem.

Intelligebamus, quod omnia haec mala oriantur tantum exinde, quod mirificè rodens ille tabus pinguedini cellulosae se immiscens, sensim suam naturam augens, et pinguia in suam naturam vertens hic haereret in locis cellulosis, sinuosis, flaccidis, quae requiruntur, ut liberè moveantur Vesica, Intestinum Rectum, et Virga.

Quando ergo semel se insinuavit hoc venenum vel per Prostatas, vel per vesiculas seminales, vel per crovam Urethram, semper malum illud sursum decurrit, et Vercellonius dicit, se vidisse, has fistulas in anteriora usque in ipsum Montem Venereum pervenisse.

Non potest curari, quousque potui discere, Lues Venerea, nisi ultimo Miasma extricetur, vel naturam suam amittat. Hoc autem facilè extricari potest ubique de toto corpore, difficillimè autem ex pinguedine, nisi externe in cute conceptum sit; sed quando conceptum est in Locis cellulosis, et infigitur in pinguedinem, tum cryptae illae sinuosae separationem impediunt.

Dicetis, Mercurio extinguemus: sed Sydenhamius Medicis hanc fiduciam ademit, docens, Mercurium nihil singulare agere in tabum venereum, sed nihil ipsum facere, nisi humores dissolvendo, aptos expulsioni reddere.

Patiamini, ut sequenti similitudine hoc magis clarè pateat:

In

De Lue Venerea

In carne sana sit parva festuca, haec ibi manebit, si haec insinuatio facta est intra corpus, donec à vi vitae separetur: sed si extrinsecus haeret, facit inflammatiunculam, et suppurationem, quae convertit partes festucam ambientes in fluidum et bonum pus, et ruptura facta festuca illa excidit, sed non correcta, verum à vi vitae expulsa:

Lues Venerea nunc habeat quamcumque causam; haec tamen corporea se insinuat pinguedini: nunc putant, Mercurium specificè agere in illam festucam Veneream, sed nil plus agit, quam natura in illam spiculam ligneam; nam putrefaciendo humores illam excutere conatur.

Hinc colligo, quando nunc in illis cryptis haeret illa tabes, non expelles, etiamsi totum corpus Argento vivo immergas: (nam non debemus verbis promittere id, quod re ipsa praestare non possumus) sed si tabes ibi haeret, et tu dissolvis omnes humores, sic ut totum corpus sit flaccidum, tunc, si omne illud ibi haerens excidit, sanas, sed si vel minimum vestigium ejus remanserit, recrudescit morbus.

Non abfui, quin suffumigationes, inunctiones, internas doses maximas dederim; sed non potui unquam efficere, ut Mercurius illud venenum extingueret.

Hinc quoties tam terribilis casus occurrit, Medicus corporis hujus humores orbare debet omni oleo.

1º per macilentissimum victum

2º per aquosissimum potum omnium minimè oleosum, nisi illud oleum sit summopere dissolvens.

Extrinsecus ab omni oleoso cavebimus, non imponentes emplastra aut unguenta ad illa loca; sed illa aquosissima retinebimus, et quoniam hoc omnium optimè facimus emollientibus, hinc remediis aquosissimis et emollientissimis infarcienda sunt haec corpora, sic ut semi hydropica evadant.

(Hinc nihili facio illam quorundam in me notam, quasi curando Luem Veneream, Hydropem corpori inducerem.)

3º Tum balneum simile applico externis, aut vapori aquae calidae partes affectas expono, ut sic internè et externè omnia sint laxissima.

4º Tum hoc facto debet fieri ptyalismus, id est, Argentum vivum applico ita, ut maxima et diutissima fiat salivatio.

Novi A: A: quosdam firos me accusare, quasi hoc modo non ritè procederem in curandis illis ulceribus; et quasi Mercurium non ritè adhiberem: sed rem meam duplici argumento defendo.

1º Indicatio

De Lue Venerea

1°. Indicatio hoc tempore est haec; haeret hoc malum in omnibus istis sinubus; ego nunc reddidi omnes meatus aptos, et nunc omnes humores in aquam dissolvendi sunt. Homo obesissimus lb 200 ponderans laborat Lue Venerea: Medicus inungit corpus Mercurii tanta copia, ut fiat Ptyalismus: quid fit? obesa illa moles conversa est in aridum fere sceleton, omni oleo difflato. Hinc Mercurius vim habet illud tenax oleum incidendi, ut exeat è corpore specie aquae; nam toto tempore Curationis nec in saliva, nec in sudore, nec in urina, nec in sanguine forsan ex gingivis erumpente, illa pinguedo unquam observata fuit: Quando ergo Labes Venereus haeret in oleo, tota in eo pendet Curatio, ut oleum attenuetur.

2°. An unquam vidistis hominem pinguem incidere in Ptyalismum, quin odorem cadaverosum emittat? Juvenis Lue Venerea laborans, caeterum formosus et purus accipit Mercurium, intra triduum disponitur ad salivationem, quod certo scimus ex halitu cadaverosoris et salivae.

Hinc opinor satis patere, quod postquam curare hos homines debemus, tunc postquam corpus reddidimus aquosum, et partes balneis &c. labefactavimus, omnia Olea per Mercurium dissolvere debemus: si nunc tanta vis est in corpore, ut hoc fieri possit, sanabitur aeger, si vero vires deficiunt, succumbit aeger in cura.

Si illum Mercurium des, antequam corpus hoc modo sit dispositum, salivatio nunquam curabit ad finem, nam labes non poterit expelli.

5°. Post haec adhibeo omnem curationem, quam in Gonorrhoea tertii generis commendavi.

6°. Sed dum haec omnia aguntur, in initio omnia orificia angusta illorum sinuum et fistularum supra tubum cavum Lanceola Chirurgica sunt dissecanda; quod si non potestis facere, non curabitis, alias verò quidem.

Hominem habui curandum, qui vagus per omnia ferè loca incassum multos Medicos adierat; cui malum eo usque pervenerat, ut totum scrotum ubique materiam purulentam perplueret, ac si cribrum fuisset, integris ejus partibus interim induratis et valde incrassatis. Periculosa res erat actu; sed cum aegri caeterum sani calamitates viderem, et dexterrimo Chirurgo uterer, aperiri jussi omnes illos sinus, et aeger integrè sanatus recessit: Passus fuerat omnes salivationes, suffumigationes &c: sed semper haerebat aliquid in membrana cellulosa scroti, quae postquam nunc aperta fovebatur depurantibus remediis, omne venenum expulit.

Cum hoc sic didicissem, desperavi semper in curanda hac Gonorrhoea quando non possem has incisiones instituere; nisi fortè felici Mercuriali salivatione instituta illos sinus expurgarem.

7°. His factis nunquam, ubi fistulae apparent, applicanda sunt

Oleosa

oleosa, nisi in Saponem versa, nam omnia Unguenta meatus occludunt, et hinc nullâ re se pejus habent, quam si oleosa applicantur: Hinc Solummodo Aquam Calcis, Nitrosam, Leviusculè alcalinam, aquam cum sale Ammoniaco vel marino imbutam si applicas, optimè aperis et abstergis; sed si Unguenta imponas, Lupum in stabulo occludis. Hinc tunc temporis Mel, aloë, Saco Venetus aquâ excepta egregii usus sunt, imprimis si admisceatur pauxillum Spiritus Vini, Spiritus Matricalis Burri, Spiritus Vini Theriacalis, si corpus nimis flaccidum sit: his impleantur omnia Loca, ut apertis his natura separationem faciat:

Si nunc hoc fieri non possit, tunc, quod dolemus, non possumus juvare hos homines, sed sibi graves, aliis horridi tandem miserrimè mortui sepeliuntur.

Remedium autem praestantissimum hoc in casu est vapor Mercurii, quo et nos utebamur in apertis his sinubus, mane scilicet et vespere ad distantiam unius vel sesqui-pedis prunae inspergebatur Cinnabaris scrupulus unus, per semiquadrantem horae fiebat determinatio per bracteum ferreum ad loca destinata, tum tenuissima instar telae Araneae sectura apparet, et tunc applicamus illa saponacea aquosa.

Haec sunt, quae de Curatione hujus Gonorrhoeae poteram dicere, quatenus Gonorrhoeae, et quatenus in corpore Masculino sanari potest.

1°. Hinc ergo videtis, quid sentiendum sit, quoties Gonorrhoeae stillicidium cessat, et tumor oritur, quod Symptoma hoc in casu frequentissimum est. Tunc putant homines se triumphare; sed tumor ille increscens primo sine dolore, postea parat quandam speciem Ischuriae: deinde forte matutino tempore erumpit multo major quantitas materiae purulentae flavae et viridis. Videtis, quod tunc malum haereat in ductibus Cowperianis, ubi tunc resolvitur, et tota vomica se aperit. Hoc nunquam magis contingit, quam ab injectionibus, nisi sint ex aqua cum pauco melle, saccharo Aloë &c:

2°. Hinc intelligitis, quoties fistulae oriantur intra cavum urethrae, malum est millies occurrens, ubi ne semel de eo cogitatur: semper cogitant et loquuntur de excarnatione Urethrae; sed illud incendatum docente Brunnero nihil aliud est, quam fistula latens, cujus Lamella superior paululum induravit. Dedit ille Vir observationem de Carunculis in Lue Venerea falsò curatis, et dixit in Miscellaneis Eruditorum Lipsiensium, se dissecando cadavera hominum istis carnibus, ut ipse tum credebat, demortuorum, incidisse urethram, sed nihil harum invenisse, sed fere semper fistulosa ulcera.

3. Hinc

De Lue Venerea

3°. Hinc patet, quaenam sit Ischuria in Lue Venerea, malum quod aliquando diu post curatas Gonorrhoeas supervenit, et supra quod tam saepe consulimur. Homines rectè valentes subitò sine manifesta causa incipiunt nihil Urinae posse reddere, unde incidunt in explicabiles anxietates; confugiunt ad Chirurgos, qui Catheterem inducere non potentes, dicunt, carne concrevisse Urethram.
Nunquam vidi inde mortuos fuisse homines, sed cum maximas anxietates saepe per viginti quatuor horas perpessi essent, subito summa cum convulsione expellitur materia purulenta, et tunc mejunt quidem, sed cum quodam dolore.
In viro Illustrissimo vidi hoc malum praesens, et tum occasionem habui sedem hujus mali inquirendi, quae est in cavo urethrae ad Cervicem Vesicae, id est, ad Prostatas, ubi materia haec haerens sic premit, ut ne gutta Urinae exire possit, priusquam illud pus exiit. An forte hic ille casus est, quem Hippocrates memorat, ubi dicit: Caruncula in Urethra Ischuriam faciens suppuratione facta curatur? Hinc semper aliquid vel minimi tabi Venerei haeret in his locis; tuncque sine salivatione hi homines curantur, ut in Gonorrhoea quarta dixi, si scilicet illud ampullosum, postquam se exoneravit, expurgetur. Sed si, ut fit, ex hypothesi, quod consumenda sit hic haerens materia, intruduntur candelae cereae inunctae Escharoticis, oriuntur dolores intolerabiles, et aliquando bona fortuna curantur, sed, ut hisce diebus vidi, intra breve tempus saepissime, imò plerumque recidivam patiuntur.

A. Hinc patet, quid sentiendum sit de Gonorrhoeae curatione per sudorifera: Putarunt scilicet nonnulli, se hoc modo illud malum sanare posse. Novistis in primo stadio erat volatilis materia, ut statim per totum corpus dispergeretur; dein in secundo stadio ulcera oriebantur, et tertium morbi stadium esse, ubi Gonorrhoea se jam manifestavit. Hinc non nego, in primo morbi stadio curam per sudorifera potuisse aliquid praestare; hodie vero sudores nihil faciunt in curanda Gonorrhoea, ut expertus vidi, quia scilicet fistula minus quam magis sinuosa et anfractuosa est, quam in Urethra.

B. Quid de methodo curandi per Diuretica censendum est? Haec methodus ferè ubique invaluit, et adeo à quibusdam jactata est; sed quia, quantum potui discere, omnes illos homines miserrimos reddit, adeoque generi humano maximè damnosa est, hinc illam perversam agendi rationem discutere debemus.

a. Dicunt, Gonorrhoeam haerere, quoad materiem, in sanguine, quo ad locum affectum, in Urethra; purgationem veram sanguinis esse lixivium lotii; naturam uti hac via, ut labem sanguini impressam expediat, seque repurget, hocque patere in omnibus morbis, ubi degeneraverint humores. Honesta certè et speciosa oratio, imo satis vera!

b Dicunt

De Lue Venerea

b Dicunt, determinare diuretica vi singulari hanc actionem hujus Lixivii versus Urethram, sine interna quasi depuratione detergeri illud conceptum venenum, et materiam sic repurgari.

Haec sunt bina fundamenta, quibus Viri Eruditi putant hanc methodum tanti esse momenti, ut convenientissima naturae sit: et profecto haec est res verissima, nam natura conatur purgare Gonorrhoeam et expellere per Diuresin; unde quandoque fit, ut Gonorrhoea simplex cum bona Diaeta, si satis materiae quotidie dimittitur, sponte saepe curetur sibi relicta, sed tamen non tuto. Ergo istos Viros rogo, quando Gonorrhoea, quae non est tam levis aut facilis exitus, ut sponte possit sanari, quaeque indiget majori molimine, est curanda, an tum diuretica sola juvent et sufficiant? Aquae simplicis potus cum levissimo diuretico decocto ex Foliis Galegae, Rutae Caprariae, et Radicibus Glycyrrhizae sanat saepe multas Gonorrhoeas cum summa abstinentia et cautione ab omni vingui; sed haec non sufficiunt, ubi materia flavescens, viridescens, acris, crassa, Urethram urens simul adest.

Hinc mutarunt hanc methodum, et adhibuerunt omne genus Terebinthinarum, et Balsamicorum, quae Urinae suavem imprimunt odorem, et posuerunt omnem curam in Terebinthina Cyprina, Balsamo Copaibae, Peruviano, et Ditioribus in Opobalsamo de Mecca, usque Balsamus Gilead tanquam summum remedium laudatur. Haec omnia quando hauriuntur in corpore sano, faciunt, ut Urina praestantissimo odore violaceo imbuatur, et quoniam eo omnis acrimonia obtunditur, multae Gonorrhoeae his curantur, imprimis si simul emulsiones levissimae ex seminibus papaveris albi, Lini, quatuor frigidorum majorum &c interponuntur. Sed rursus dico, quando materia est maligna, quid faciunt omnia haec Terebinthinacea? plerumque Testes tumidos. Quando indicatio est, ut Urina fortius urgeatur, et materies plus moveatur, sed potius stimulando quam abluendo, major inflammatio oritur. Quando nunc hoc fit, oritur longe major calor in virga, et non multo post circa corpora varicosa seu pyramidalia oritur tumor exiguus, et paulo post testes tumidi.

Hinc itaque distinguetis alacri judicio, in corpore laxo non valde maligna Gonorrhoea methodus Diureticorum ex Aqua cum Nitro, ex decocto Galegae et Glycyrrhizae, et Terebinthinaceis cum prudentia interpositis, revera curare. Sed simulac his operantibus succedit major calor, tentigo, tumor &c. desistendum et tum confugiendum ad methodum purgantium.

De hac re postea latius agam, et ibi patebit, omnia diuretica et sudorifera facere ad solutionem, quae fit in Ptyalismo, nam evacuatio humorum per salivationem aut per purgationem est eadem.

Verum

De Lue Venerea.

C. Verum quando pervenitur ad hanc methodum, Tertia Secta hic invecta fuit omnium clarissima, quippe Celeberrimum Tulpium, vel fortè Bartholinum pro Auctore agnoscit.
Observarunt hi Viri, quaedam Venena esse in rerum natura quae in corpus adsumta, imprimis in Urina se manifestant, ut sunt Millepedes, Vermes Majales, Cantharides; hinc haec corpori jejuno ingesta faciunt majorem calorem, sitim, molestam pruriginem, halitum foetidum, urinam auctam, foetidam, rubram flammeam, et si majori copia ingerantur, veram Gonorrhoeam inducunt, quam solis Cantharidibus possum excitare, sic ut Medicus vel exercitatissimus eam à vera Contagio acquisita non posset dignoscere. Si enim homo sanissimus adsumat Cantharidum scrupulum dimidium intra quatuor horas debet assidue mejere, et intra paucas horas dimittet materiam lentam, viscidam, flavam, et si plus urgetur, ipsum sanguinem intermistum: tentigo perpetua erit et molestissima.
Cum hoc viderent illi Viri, crediderunt, quod in Gonorrhoea inveterata, pertinaci, hoc handtum Venenum (ut sic dicam pro medicamento) posset attenuare et expellere illud malum: Hinc per totam Europam habetur Celebris illa Tinctura Antinephritica Tulpii, quam hoc modo faciunt: Sumunt Cantharides, in pulverem redigunt, et Spiritum Nitri dulcis affundunt. Cantharides (quae si sunt alcalinae, singularem certe alcali indolem habent) per acida excitantur, et tunc oritur effervescentia quae ultra sex annos durat, id est, si bene clauseris vitrum in quo illa infusio continetur, liquor quiescere tibi visus vel vitrum subitò diffringit, vel suber explodit; et hoc iterum atque iterum, unde Hombergius dixit, esse quasdam effervescentias inter acida et quaedam alcalina fere perpetuas. Bartholinus hanc miscebat cum Spiritu Vini et sic propinabat, et huic remedio dicunt obedivisse Gonorrhoeas pertinacissimas: vel Cantharides faciebat ebullire cum Spiritu Vini, et titulo Tincturae Antigonorrhoicae guttatim propinabat.
Quid de his dicendum? Rem junior Medicus institui, dedique hominibus Leucophlegmaticis has Tincturas, et tum, quae dixi accidebant. Volens curare Virum Amplissimum, qui putabat aliquid Gonorrhoeae se habere, cum ipsi illam procurarem, dixi me ipsi dat urum esse remedium, quod, si quid lateret certo manifestaret et expediret. Dedi ergo ipsi exiguam Lagenam hac Tinctura repletam, et jussi, ut paucas quasdam guttas successive adsumeret. Sed ille nimis praeceps et festinatus una vice decuplam dosin assumsit: unde ad eum vocatus vidi summa tentigine et ardore

in

in Urethra Laborantem, Urinam mittentem continuo, et materiem flavescentem, viridescentem intermistis striis sanguineis exeuntem; sed ilico balneo Lactis et potu aquae cum Glicyrrhiza et Lacte intra paucas horas malum sustuli. Duravit tunc haec molestia per aliquod tempus, et postea ille persuasum sibi habuit, quod à Gonorrhoea curatus esset.

Hinc ergo patet, quod haec remedia habeant vim, ut sales Urinae reddant tam acres, ut nervosam tunicam vesicae sic rodant, ut omnis mucilago illi obducta, maxima convulsione oborta abluatur, unde mucus exit de vesica, et si magis urgetur, ipse sanguis propellitur. Rogo nunc vos, quid haec faciunt in Gonorrhoea? ego nunquam vidi, quod malum Venereum hac ratione curetur, sed potius inflammatorium reddatur; et saepenumero, ubi paulò imprudenter datum hoc remedium erat, vidi, tam diras excitationes, et materiae fluxum fecisse, ut incredibile sit.

Hinc puto, haec nunquam à bono viro danda esse, nisi in tali casu, ubi homo corpore laxo et Leucophlegmatico Gonorrhoea non admodum maligna laboret.

Nobilis quidam homo per totam Europam peregrinatus Gonorrhoeam habuit, qualem nunquam vidi, per multos annos durantem, et per reliquum corpus nullum malum dispergentem: Expertus ille fuerat summorum in arte virorum artificia summa. Huic dabatur suasu Empyrici Tinctura, facta, ut mihi videbatur ex seminibus Majalibus, vel similibus: haec data tantum ardorem et siccitatem excitabat, ut materia libere et fluida effluere solita tanquam ad ignem exsiccaretur, et summus ardor in Urethra oriebatur. Hinc postea nunquam adhibui, nisi in memorato casu, et tunc parva admodum dosi cum magna copia Succi Liquiritiae inspissati.

D. Quid sentiendum de illa methodo, qua per injectiones conantur Gonorrhoeam curare?

Antea ad Curationem Gonorrhoeae requisivi balnei applicationem, et fomenta, ut balnea perpetua, et injectiones tenuissimas aquae dulcis cum melle, sine quibus credo Gonorrhoeam bene curari non posse. Eatenus ergo balnea, fotus, vapores, injectiones prosunt; nihil enim naturalius est, quam venenum conceptum educere ea via, qua ingressum erat. Sed injectiones aliae sunt, quae

1º sistunt copiam materiae fluentis, aut

2º quae corrigunt malum remedio huic malo singulari virtute opposito.

Qui hoc tentarunt per adstringentia nondum correcto malo, infortunatos reddidere aegros.

a. 1º. Si Alumen ustum optimum dissolvitur in aqua, dulcem paramus Liquorem, qui dilutus et tepefactus omnibus ulceribus humidis applicatus facit Escharam albam, et post triduum, illa ulcera, delapsa Eschara, nitidiora reddit.

Sic

de Lue Venerea.

Si ulcus venereum in manu foveatur hoc liquore, fiet album, contractum, et intra viginti quatuor horas nullus humor in eo erit, sed intra triduum crusta decedit, materia iterum fluit, et fundus ulceris nitidior apparet. Chirurgi periti, ubi ulcera nimis humida tractant, calcinato alumine tangunt et vasa constringunt.
Ego, quantum videre potui, inveni, nonnullorum arcana esse aluminata.

2º Saccharum Saturni et omnia plumbea si in liquorem deducuntur, dant aluminosum saccharinum saporem, sed magis mellitum: Tangantur quaecunque ulcera his liquidis, idem fiet ac in (1º)

3º Vitriolum inter remedia externa nobilissimum, non Cyprium aut album, sed viride vulgare, Romanum dictum, si aqua valde dilutum applicatur ulceri, escharulam facit albam, et omnia eadem ac (1º)

Haec nunc remedia maxime fefellere; nam ad loca in Gonorrhoea suam materiem destillantia applicata etiam faciunt escharulam, et si malum haereret in lacuna exteriori, tum, ubi natura separaverat materiam, post triduum vel quatriduum sistebatur fluens, et sanatio in initio mali his impetrabatur.
Hinc leves Gonorrhoeas his sanari cum viderent, euge clamabant. Sed si paulo atrocius esset malum, tum tumores et alia dira mala oriebantur: Hinc maxime fallens haec methodus, sed tamen etiam summopere adulans, unde Aulicis Medicis valde convenit.

b. Altera methodus est, quando injicitur materia directe opposita malo venereo. Quando excutimus totam rerum naturam, fere auderemus dicere, cuique virtuti corporis oppositam esse contrariam eam destruentem.
Das Mercurium sublimatum corrosivum urentissimum acre illud, destruit omne corpus animale; admisce salem Tartari, nihil nocet:
Quaedam sunt venena infestissima cuidam animali, quae aliud non inficiunt, ut apparuit in peste bovina, quae nullum equum, aut ovem attigit: hoc ergo singulare quid est, quod in homine, equo ove erat diathesis, quae posset iners reddere illud venenum, quo boves moriebantur. Et contra si homines peste laborant, videmus saepe, boves equos etc immunes manere.
Quando Medici ita excoluerint historiam Physicam, ut cuilibet veneno invenerint suum antidotum, ab his liberum erit genus humanum.
Nunc Lues Venerea est venenum acerrimum inficit imprimis homines: hinc quaeritur, quidnam illud corpus sit, quod applicatum corpori humano illud venenum iners redderet.

Vale

De Lue Venerea

Tale nullum mihi cognitum est, quamquam quidam dicunt in suis Scriptis, se hoc habuisse, qui hoc verè probaverint, nescio fuisse. Dixit Vir summae famae Gulielmus Cockburn, se habere tale remedium, et hujus celebrandi causa Tractatum de Gonorrhoea edidit. Quantum possum videre, hypothesis ejus est quod simulac virus venereum receptum est in parte virili vel foeminina exterius vel interius, tunc ille liquorem facilem, tolerabilem nervis, non urentem exstinguere hoc venenum non adstringendo aut compescendo, sed vi antidotaria compescendo.

Utinam talis Methodus mihi esset cognita! Aperte enim & candidè vobis de hoc Loco eam communicarem. Sed hoc num detur, pendet ex sola fide et candore hujus Viri.

Vidi tamen homines hac Methodo usos, dixisse, non ita bene curatos se esse. Sed hoc fateor, esse methodum omnium innocentissimam inter injectiones, nam in initio mali instituitur.

Putavi et rogavi illum Virum per Epistolam, ut illud arcanum manifestaret, sed respondit, se non posse: quamquam boni viri est, genus humanum, quantum potest levare.

Inquisivi multis in hanc rem, sed numquam potui invenire. Hoc utique verum est, quod si homo cum pessima muliere congrediatur, et adhuc calide utatur balneis et injectionibus, tum sanari potest.

E. Ultimum nunc in his De Escharoticis Urethrae adhibendis per candelas cereas dicendum est.

Observatio docuit, omnem Gonorrhoeam dictam semper esse malum in Urethra, et ulcus majus minusve; tunc cum Gonorrhoea se non ritè evacuante, aut si forte raro exemplo orta fuerit Lues Venerea, videtur proxima indicatio esse, eam in ipso loco curare, et haec methodus per leves injectiones bona est:

Verum illa methodus, qua conantur hoc efficere erodendo partes, nunc excutienda est.

Invenit scilicet industria humana modum, quo putavit, se posse nata mala in Urethra superare et expugnare, ubi internae curationis spes fefellerat, et ubi injectiones non manent satis diu partibus affectis applicatae.

Fundere igitur materiam quamcunque tantae tenacitatis, ut non liquescens posset ibi retineri; tunc admiscuere talia remedia, quae putabant bona ad ulcera aperta curanda, et conabantur ad Loca affecta applicare.

Si hoc ita fieri posset, ut prima facie apparet, multum efficeretur, et proinde, quotiescunque remedia satis mitia sumuntur sine paulo majoris emollitionis aut suppurationis, ferri possunt, veluti de Mastiche, Olibano, Myrrha, Sarcocolla, Balsamo Peruviano et similibus.

Verum

De Lue Venerea.

Verum quoties Escharotica, ut sunt Vitriolacea, Mercurialia, et similia Metallica adhibentur, tum plerumque oritur inflammatio, suppuratio fortior, et urethrae degeneratio.
Hinc ne tunc quidem, cum haec mala haerent in Locis sinuosis, remedia eo pervenire possunt: oriunturque dolores et tumores saepe immensi.
Verissimum illud est, quod, saepe audacter sic facta summa exulceratione immensa copia puris generetur, cujus per aliquot dies effluxu saepe detergetur et abluitur sedes mali; quod si fit, quaedam saepe fit sanatio, sed plerumque remanente aliquo malo.
Hinc facile patet, quid de illa methodo sentiendum sit.
Si contingeret, ut homines verum Antidotum haberent, tunc illud topice applicatum posset Venenum Venereum extinguere: sed haec sic applicata remedia dicta non agunt, nisi erodendo partes: Hinc non adhibenda.

Corollaria

1º. **Brassavolus** dicit pro axiomate generali: Gonorrhoea parit Gonorrhoeam non aliud; id est, Gonorrhoea propagata per concubitum in aliud corpus nunquam parat, nisi simplicem Gonorrhoeam, nunquam Luem Veneream, aut alia mala, quae semper ab alia causa oriuntur:
Haec sententia non semper est vera; nam Gonorrhoea si solummodo semper ejusdem insontiae esset, hoc credibile foret: sed Gonorrhoea, quae est in corpore majori gradu infecto, adnuscet certe etiam illud aliud.

2º. **Alexander Petronius** dicit: Si Gonorrhoea contumax, naturae relinquenda est, si non debilitat; si extenuat et Dysuriam parit, curanda est.
Hinc ex ejus sententia duplex est Gonorrhoea: una à malo Luis, altera quae manet extincto jam veneno in Locis sinuosis.
Animadvertit, quod si sine Lue Venerea sinuosum ulcus oriatur in fungosa fabrica urethrae, ibi orituram esse talem fistulam, qualem à degeneratione membranae cellulosae in toto corpore:
Hinc si jam extinctum illud Venenum Venereum est, sed Gonorrhoea sic exedit intimas partes, hoc ulcus non curabitur remediis antivenereis, sed ut sinus et fistulae in reliquo corpore.
Sic si diathesis ulcerosa occupaverit fungosas partes et rite expurgari non potest, semper malignam diathesin relinquit.

Dicit

Dicit, tunc relinquenda est. Haec sententia longè majoris meditationis est, quam quidem crederetur. Si potestis absolutè certi esse ex Symptomatis, quod tantum à tali causa sit, tunc metus non est Luis Venereae, sed metus est, ne aliquando nimius fluxus fiat, vel malum transeat per totam substantiam cellulosam penis.

Quando hoc malum tentatur summis remediis, saepe nihil efficitur, quod binis exemplis expertus sum:

1º. In nobili Britanno, cui experto omnes operationes nihil profuit, nam apparebat materia tam incredibili copia fluens, ut mirarer. Non abstinuit à remedio Candelarum, nihil proderat. Quando malum sibi relinquebatur, durabat; si per remedia excitabatur, majus fiebat; tum paululum suspendebatur; et quicquid adhibuissem, non vidi, multum me profecisse.

2º. Homo robustissimo corpore affectus erat in flore Aetatis; non potuit ullo modo cavere, quin simulac dormiret, tentigine laboraret violenta: hinc ad singulas erectiones videbatur iterum redire quasi nova Gonorrhoea; haec iterum curabatur remediis, sed post alterutram septimanam redibat idem malum. Commisit se homini, qui partem hanc remediis Escharoticis exussit, et summos dolores et fluxus excitavit, quo facto videbatur superatum esse hoc malum; verum quando sic emaciatus homo paulò post iterum invalesceret, iterum in tentiginem incidens vidit, quasdam guttulas liquoris iterum prodiisse.

Videtur Nobilis Auctor, quando tales ipsi occurrebant, in aëre calido naturae commisisse; suasisse, ut balneis uterentur, et illa loca continuò flaccida tenerent. Hinc et nos malumus illos homines naturae committere, quam remediis vexare, maximè cum certissimum sit, illos homines genuisse infantes ab omni labe immunes. Manebit ergo aliquando fistula, quae si non possit facilè curari, dum nihil mali in reliquo corpore deprehenditur, nec diu continuatus fluxus fecit mala communia Lui Venereae, sibi relinquenda est.

3º. **Nunquam pejus afficit Gonorrhoea, quam si Vir laborans Gonorrhoea scortum init, et hoc in alter non infectus eodem utitur.** Tunc enim semper compertum fuit omnibus, qui plures simul adiere unam meretricem, quod tum ultimus vehementissimè Gonorrhoeâ affectus fuit, si quis inter Antecessores Gonorrhoeâ infectus fuit.

De Lue Venerea.

De Symptomatibus Gonorrhoeae.

Et primò

de Phymosi.

Symptomatum in Gonorrhaea occurrentium, quae aliquandò sunt longè molestiora et magis terribilia, quàm ipsa Gonorrhoea, ingens est numerus, interque illa primò est **Malum praeputii masculinum**, quò foeminae non laborant, maximè indotritum molestissimum, imò saepe funestum, quod ΦΙΜΩΣΙΣ Graecis, Latinis verò **Fibulatio** vocatur: scilicet iis Graecis et Romanis, qui servos alebant, moserat, eos infibulare obductis filamentis per praeputium, ut glans impediretur produci extra praeputium.

Modus, quò haec Operatio peragebatur, videre est apud Celsum Libri VII^mi. Capite 25to. Ratio autem, cùr hoc faciebant, obscoena est: Inde factum est, ut postea praeputium à maligna diathesi non potens retrahi, etiam ΦΙΜΩΣΙΣ vocaretur:

Vox ΕΠΙΦΙΜΩΣΙΣ et ΠΑΡΑΦΙΜΩΣΙΣ ambiguitatem dederunt: si ΕΠΙ sumitur, ut apud Celsum intelligitur, esset illud malum, quando praeputium totam glandem tegit, et ΠΑΡΑΦΙΜΩΣΙΣ erit reducti ultra glandem praeputii tumor circularis, ambiens à parte posteriori glandem: sed non repugnat Lingua Graeca, quominus utrumque illud malum possit ΦΙΜΩΣΙΣ vocari

Crebrum est et molestissimum in Gonorrhoea symptoma in praeputio virili occurrens malum.

Molestum est, nam sive ante, sive pone glandem sit, semper aequalia mala producit: Obtinet tantum in praeputio; nam rarissimè solet posterior pars colis sic intumescere; unde patet, quod circumcisi hoc malo nunquam laborant.

Cur sic oritur illud malum? Quoniam Glandis praeputium est pars talis, cui nulla similis in toto corpore, quantum scimus, sine ullo musculo, sine ulla fibra contractili, sed solis causis omnibus partibus corporis communibus contractilis:

Constat cuticula tenuissima, ut patet in ulceribus Crystallinib: Haec Epidermis nunquam callosa fit, nisi Phimosis praecesserit: Cutis hic tenuissima est, ut ferè nulla sit, ut patet in erectô membrô: Tum examinata cute Membrana Cellulosa hic est tenuissima, nunquam pinguescens, nisi in Eunuchis: Reliqua structura praeter enumerata est Arteriosa et Venosa: sunt hic vasa Lymphatica arteriosa et venosa quàm plurima: Nervorum hic est structura intricatissima, tenuissima et Laxissima, sed maximè dolens, fere pellucida, Laxa, et sibi commissa pendula est: si extensa afficitur, dilaceratio partium fit, summopere tum distentarum: Hinc pars sic affecta quàm facillimè dilaceratur vel exsiccatur.

Nunc

De Lue Venerea.

Nunc pars haec in actu Venereo omnium maxime teritur, hinc maxime calet et expanditur: haec pars directe applicatur tabo Venereo afficienti: hinc quando consideramus tenuitatem fabricae, innumerabilem vasorum copiam, attritum, calorem, expansionem, et immediatam applicationem, non mirum est, si illa pars omnium pessime afficiatur.

Nusquam autem saepius afficitur, quam in superficie interna: Praeputium a parte interna cute destituitur, sed ibi sola Epidermis tegit immediate tenerrimam illam vasorum et papillarum nervosarum tenerrimam structuram: ergo nulla pars nudior quam haec exponitur ad hoc malum recipiendum.

Igitur solet hic plerumque Inflammatio oriri: et credo, plerasque Gonorrhaeas oriri ex malo inficiente primo hanc Membranam internam praeputii, quia plurimos tractavi, qui hac parte carebant, et hinc a Gonorrhaea longe minus afficiebantur; et quia quamdiu haec pars non curata est, Gonorrhaea nunquam curabitur.

Quando haec pars inflammatur, intumescit incredibiliter: Quando homines laborant Erysipelate Oedematoso, tum facies mirifice intumescit, sed maxime ad palpebras, et sub palpebris inferioribus, quia hic loci membranae potius cellulosae quam pinguetudinosae facilius implentur et Inflammationes patiuntur: Quando tota facies intumuit Variolis, video bullas elevatas, sed si variolae occupant palpebras, oritur tumor valde magnus et pellucidus: Hinc intelligitur, quod haec sit natura hujus membranae, ut, quo tenuior, eo ab omni causa inflammatoria magis intumescat, et pariat maximam molestiam: Verum si quis hanc partem aperit, pars mortua cadit: hinc nunquam aperientia hic sunt applicanda:

Quando nunc haec pars sic tumet, statim fit impedimentum reducendorum humorum, reductio hic per venas lentissima, et circulatio minima est, unde summa fit accumulatio, ita ut saepe intra 24 horas in immanem magnitudinem increscat: In reliquis corporis partibus lente circulantibus apponuntur musculi, qui dum moventur sanguinem expellunt, hic vero non adsunt:

Hinc aggesto humore incipiunt omnia tumere aequabiliter, et durities major oritur, ita ut corium esse putares: si hoc malum acciderit, ut in Suppurationem transiverit, et aperiatur nil nisi aqua exit, hinc mirum videtur quibusdam, unde illa durities fuerit: sed hoc inde tantummodo fit, quia omnes vesiculae membranae cellulosae hac aqua impletae, tumorem quasi ex substantia solida durum exhibent:

Hinc tum potest ire in Suppurationem: quae si semel hic contingit, plerumque totam partem caedit: nam ulcus se quidem pure liberare conatur, sed cum locus constringatur, omnia vicina pure illo implentur et irritata magis extenduntur.

Hinc

De Lue Venerea.

De Epiphimosi, Paraphimosi et Corona Hispanica.

Hinc oritur tum hic Loci Cancer. Causam dixi, cur cavere debeant medici, ne distentae et labefactatae illae partes emollitae flaccescant, et Necrosi afficiantur: etiam quod debeant cavere, ne in suppurationem abeant: Ponamus, quod parvum ulcusculum hic oriatur, illud stringitur, premitur contra glandem, venae compressae calent e calore nativo non possunt humores suos exonerare: hinc simul ac apertura fit, labia fiunt retorrida, quia omnes partes adeo distentae conantur exire: sed haec solent cancrosa ulcera vocari (Belgice Chankers.) De his scribit Sydenhamus, quod fundus sit adeo callosus, et labia tam retorrida, ut omnibus fere remediis repugnent.

Hinc inflata pars mirifice glandem operit; et quo magis tumet anterior pars, eo magis arctatur: hinc nulla spes retroductionis est: premit plus glandem; haec hinc similiter inflammatur, et quum praeputium quoque tumeat, oritur continua pressio et repressio, hinc in utroque malum augetur; hinc oritur materiae inter superficiem internam praeputii et Coronam Glandis genitae maxima retentio, calor, inflammatio, et maxima acrimonia.

Propter hanc causam, inter omnia, quae accidunt in Lue Venerea, pessimus est hicce status; haeret namque, coërcetur, exire non potest, et augetur omni momento causa mali, unde necessario necrosis oriri debet, qui est naturalis hujus mali exitus, vocaturque hoc malum **Corona Hispanica**: quando verrucae venereae accedunt.

Primarium ergo quod huc usque consideravimus, fuit, quod in Gonorrhaea glandis fabrica sere porosa bibat venenum, epotum hoc induciet in interiores recessus, et hinc ipsa haec pars pressa in Gonorrhaea virulenta non modo ex urethrâ, sed etiam per spiramenta externa eructet materiam: Notum nunc est, quod ad Coronam Glandis colligatur olida et facile rancida et acris reddenda materia, quae in Locis calidis, ut in Asia et Africa, circumcisionis necessitatem induxit: Aestivo autem tempore valdè etiam in frigidioribus regionibus potest conflari Pudendagra ad has partes: sed et haec eadem materies sponte sua humectat interiorem superficiem praeputii, et exteriorem Coronae glandis: hinc ex materia vel naturali vel Gonorrhaïca hic nunc transsudante, fota calore, et tecta ut non possit exire, fit Lixivium erodens: haecque est maxime notabilis malignitas, quae hic accedit: Licet enim non sit virulentissima, caeterum per conditiones dictas olida facta est: Quo nunc praeputium magis tumet, eo magis retinetur, acrior et virulenta fit haec materia, unde antea colligebam, ultimò debere hic Necrosin oriri:

Quando hujus partis praeparata Ruyschii artificiosissima videmus: praenunciare fere audemus, quod crassissima solida pars hic non habeat diametrum capilli: Si nunc in his rodendi virulentiâ donata materia haereat, non potest contingere, quin stamina illa tenerrima dissolvantur: hoc autem vocatur **Necrosis**.

Quovisque autem observatur, fere semper haec Necrosis ingesta, vix unquam ad capita priora corporum cavernosorum procedit; nec mirum: Glans enim primò exuritur, et, docente Ruyschio, membrana est intermedia inter glandem et anteriorem corporum cavernosorum superficiem:

Hoc

De Lue Venerea.

Hoc tempore immaniter turget glans; verum dum detumescit, fere nulla est: remanet fere intacta membrana corporum caverno-sorum: Atque hic est effectus tristissimi illius mali.

Quando nunc ex hisce causis concurrentibus totum hoc sic se habe-at, duplex debet esse distinctio: si malum invadit praeputium, quan-do est superductum glandi, sequuntur mala modo memorata:
Verum quando praeputio nudata est glans, tum praeputium pone glandem in annulum crassissimum, expansissimum strangu-lans assurgit, ibique horrendos tumores facit.

Quando hoc aliquamdiu fit, magna vena praeputii comprimitur et hinc paulò post tota pars mirificè turget: incipit plus turgere glans à sanguine venoso, et eo plus premit annulum istum, eoque fortius reprimitur ab annulo, unde pessima mala:
Quid nunc patiantur illi homines, facile patet: haeret ille an-nulus summa vi comprimens omnes partes, adeoque etiam ureth-ram; et si urina urgetur, per hanc angustatam et ulceratam viam transire debet, unde certè summi dolores oriuntur.
Si vultis Epiphimosin vocare, ubi glans tecta manet, et Para-phimosin ubi contra denudata est glans, per me licet.

Verum ad Curationem antequam pergimus, unum adhuc ter-ribile malum animadvertendum restat. Demonstravit scili-cet Ruyschius, quod glans habeat membranam, quae singularib. penitus et tenuis nudae fabricae glandis incumbit et arctè ad-haeret: Haec membrana ablata glans est tota hirta, et quasi eminentibus horridis aculeis aspera:

Cum haec membrana in Epiphimosi est erosa, tum papillae prominentes emergunt, et liberè à membrana coërcente expan-duntur et **Verrucas Venereas** constituunt, quae nunquam contingunt, nisi hac membrana vel in tota glande, vel in parte ablata:

Verruca in toto corpore patet, quod sit semper morbus Nervo-rum; hinc tam facile concrescunt verrucae in glande perfectè similes sunt:

Totum hoc malum significat, vitam adhuc in parte superesse, et patet quanta cura et circumspectione hoc malum sit tractandum: Nam novi et vidi, Cancrum verum ortum fuisse in hac parte per remedia acria applicata: Quando autem Verrucae hic Coronam glan-dis instar Coronae ambiunt, vocatur Corona **Hispanica**: vidi talem Coronam digito auriculari majorem, Coronam glandi ambiisse.

Curationem quod attinet, nunquam opinor, medicus gnarus, angitur plus, quam ubi vocatur ad curandum hoc malum, omnium maxi-mè, ubi est exploratae sapientiae; nam

1mo. Cavendum, ne stagnans materies corrumpatur; quod facilè fit si medicus metu inflammationis, et suppurationis seu Gangraenae,

nimis

De Lue Venerea.

nimis debilitantia adhibet; nam si nunc videt febrim ingentem tum summâ ope nititur partem hanc ad quietem deducere, et laxare loca externa, et condire materiam, nisi putrefiat. Hinc quando vident, tam immaniter et subitò turgere, applicant emollientissima et frigefacientissima: Quando intumuit praeputium, membranae ejus sunt tenuissimae, si jam ergo emollis, tum cadunt primò membranae primae seriei, tum secundae seriei, et sic quasi fit, ut ita dicam, mucescens Gangraena; Hoc moneo vos, cum viderim, quod, quo tumor naturali major, eo solidae membranae sunt tenuiores, et materies, quae intus haeret semper fit crassior: hinc debes considerare, quod membrana vix crassitiem habens, humores incrassatos contineat.

2do. Cavendus est alter scrupulus, in quem plus adhuc impingunt Medici non bene in his versati: vident scilicet omnia ita tumefacta, hinc fluxum inducendum esse putant; et facit enim bene; sed ubi ad remedia perventum, sumunt maximè moventia; sed si ab his non statum resolvatur, tum non mucescens, ut prius, sed inflammatoria Gangraena oritur.

Vidi ergo, quod summa in hic sapientia in eo consistat, ut eligatur methodus, quae impedit putrefactionem, et tamen non tantam quietem inducit, quantam in aliis partibus inducere liceret: Hic multas distinctiones facturus sum, et forsan hisce molestus ero; sed certè aliter non potui.

Ergo ponite juvenile plethoricum, robustum corpus, ponite biliosam calidam temperiem, aestum aestatis summum, tumorem ingentem, in eo rubedinem maximam, valdè citò factam in praeputio: Quaeritur quid hic agendum sit?

1mo. mittendus est sanguis copiâ maximâ.

In Gonorrhaeae Theoria vos docui, venenum semper debere extrorsum verti, et per eam viam educi, per quam intraverat: ergo dicetis, cum venae sectione largiori instituta facilè venenum introverti potest; tamen hic praescribo sanguinis missionem: fateor, sic est, et si mitterem sanguinem, et nihil amplius facerem, inducerem Luem Veneream.

Nunc hoc facto statim cogitandum, hanc venae sectionem evitandi majoris mali gratia adhibitam; si tum subsedit Phimosis, certum sum, quod ego reduxerim partem in sanguinem;

2da. hinc indicatio est, remedium adhibere, quod venenum expellit; scilicet in initio conceptam Luem Veneream per purgantia Hydragoga possumus curare, nec opus est Ptyalismo, vel molestissimis illis suffumigiis et balneo; hinc quotidie purgans Hydragogum adhibere debemus, et hac ratione pingue solvere et imminuere, in quo malum fortè nidulat: Confidentissimum hic remedium est

℞ Radicis Jalappae optimae dr. j
Foliorum Sennae sine stipitibus dr. ß
——— Scrophul: majoris. prig: ß.
Salis Prunellae dr. j.
Infunde spatio ¼ horae, tum expresso ad uncias iij adde
mannae Calabrinae dr. vj.
Fiat purgans quotidie detur visu ; donec

De Lue Venerea.

Donec videamus relaxari partes sine putrefactione; hoc brevi fiet quarto vel quinto die:

Tum hoc facto,

3tia Indicatio est, quod superficies glandis et praeputii purgari debeat: Vidi Chirurgos occupatissimos in hac curatione ad me duxisse aegros, quos curare non possent: Semper vidi hoc totum inde fieri quando vera Epiphimosis aderat: non potest, nisi dexteritate summâ inter convexam glandis et concavam praeputii superficiem introduci canaliculus, per quem liquor injiciatur, adeoque ex plumbo mollissimo fiant fistulae parvo foramine praeditae: hae insinuando leniter ductae intus applicentur siphoni, et tum per siphonem injectio fiat: Materies injicienda scitur ex conditione mali; nam aqua pura sola sufficit pro depuratione: Hinc ubi summus dolor, tum sola aqua omni li-torio injicienda, nihilque addimus, quia per minimum stimulum dolor et tumor immaniter augentur: Si autem putredo et fœtor simul adsint, admisceo pauxillum vini, quia nil magis putredini resistit.

Ubi hoc incipit paulatim purgari locus, emollientissima injicienda sunt, haec non detergerent in initio, imo potius obstruerent: In initio, si malum urget, paululum salis etiam aquae addi potest.

Commendatur hic à quibusdam quam maxime Lac, sed inde fit coagulum, calescit, manet et non potest elui.

Ergo decoctum florum foliorum et radicum Althaeae per linteum colatum injiciatur.

Hisce factis cum certi sumus, corrumpentem materiam ablatam esse, tum detergentia adhibemus addito melle rosarum emollientibus indicatis.

Si videbitis hoc bene procedere, sed tamen nimiam copiam liquoris perpetuo per poros exire, et hinc nimis laxari, tum Aceti Lithargyrii paucissimum cum prudentia admiscemus.

4to. Balneo et injectione sic tractata et repurgata pars inungi debet sequenti Linimento.

℞. Unguenti Nutriti
——— Populei aa unc. j
Sacchari Saturni gr. x. xij vel ad summum dr. ß.
M. F. Litus.

Tum injiciatur hujus pauxillulum inter glandem et praeputium, et eodem superficies exterior praeputii inungatur:

Cum autem humores hic aëri fere externo exponuntur, et vix moventur, hinc sponte corrumperentur: Hinc in lib semper date, quae carnem possunt retinere à putredine, et interim nimiam laxitatem impediunt.

5to. His

De Lue Venerea

5to. His peractis obvolvatur interdiu Cataplasma; aliter vix curare poteris, nam pars fit callosa, ac si esset corium praeputio additum.

Hinc simulac per quatuor praecedentia remedia, non ita metuo Laxitatem, vasa laxare conor; sine ex Floribus, foliis radicibus Althaeae cum Lacte recenti fiat Cataplasma, cui sub finem addatur parum Rutae, Scordii et Olei Lini. Addatur quoque parum Sal. Poly. Aresti: Dico parum Oleum Lini, quia si multum addis, obstiparet, si non addatur, exsiccatur Cataplasma. Si homo in Lectica jacet cito solet curari, verum si sedet, determinatio magis fit versus inferiora:

Si verò non possunt ferre situm decumbentis, vel si negotia non permittant, vel ne in suspicionem mali incidant &c: applicandum est hoc remedium.

℞ Emplastri Diapompholigos
——— de Mucilaginibus aa 2unc: j
Sacchari Saturni. Dr: ß.
M.

Postquam Sanguis est missus, Hydragogum datum, pars topicè purgata, unguenta applicata, tum haec dari possunt; sed semper non prosunt: si pars frigescit, dosis Emplastri de Mucilaginibus augeri, vel Emplastrum de Meliloto addi debet.

6to. Remedium est quod saepe pulchrè procedit, quod fit quando videmus tantum Lenterem, ut quidem non sit Inflammationis metus verum metuimus à mora Gangraenam, vel ne scirrescat praeputium, quod fit quando liquidum stagnans cum vase continente concrescat; unde in Concubitu magna molestia oritur.

In hoc casu sequens do Suffumigium.

℞ Gummi Benzoin
——— Mastichis
——— Olibani
——— Ammoniaci
——— Galbani aa dr: j
M. F. Pulvis Grossus.

Hujus paucum injiciatur prunae, et fumus determinatur ad partem affectam. Hoc solet roborare partes; et quia nec humectat, nec nimis calefacit; hinc hic non obest.

3tia autem difficultas est Coriacea Callositas, quae in parte remanet, postquam deferbuit inflammatio et pars subsedit, triplo vel quadruplo crassior, quam naturaliter esse debebat, unde hi homines difficillime laborant, quia praeputium longè immobilius est:

Quaeritur

De Lue Venerea.

Quaeritur ergo, quid sit remedii contra hoc malum? nimis tumefacta vasa, difflata, subtiliori materiâ acerrimâ et maximè mobili dilatata semel, non tam facilè vim contractilem iterum recipiunt, hinc patiuntur humores hic aliquamdiu stabulari, qui incipiunt majori copia adesse, hinc magis magisque extenduntur vasa, et quia subtiliora dissipantur, humores stagnantes incrassantur.

Caeterum nihil venenati aut maligni huic malo inest.

Nunquam possumus tum persuadere nil mali subesse, et quod tantum sit callosa talis durities; unde hi miseri medico diffidentes in alienas manus se committunt, et saepe operosam curationem ferunt, ac torquentur postea multò majoribus malis. Hinc ergo in hoc casu felicissimum est, ut fiat quotidiana fomentatio ex maximè dissolventi et tamen non ad suppurationem ducenti remedio, quod omnium maximè fit per acetum et salem Ammoniacum. Nondum reperi in materia medica remedium plus resolvens quam acetum; hinc Antiquissimi Medicorum in Hypochondriacis, Maniacis, Lienosis &c: adeo commendarunt acetum; et reverâ ad omnes tumores lentos dissipandos vapor fumantis aceti applicatus optimus est, et tantum abest, ut humores nostros, solo lacte excepto, coaguleb, ut sanguinem ejusque serum potius dissolvat, ut in Chemicis demonstravi. Alterum est sal Ammoniacus, nam ille naturae nostrae convenientissimus nostros humores fluidos tenet, nunquam nocet sanguini, partibusque solidis et magis penetrat quam sal Marinus. Omnium autem maximum dissolvens est, si sal Ammoniacus vino miscetur; nam vinum certè est magis externum, quam internum remedium: Chirurgi veteres docuerunt, fomenta ex vino facta resistere putredini, non facere inflammationem, et tamen optimè dissolvere: Chirurgi vero castrenses, imprimis recentiores, cum antea uterentur spiritu Vini, spiritu Rorismarini, aqua vitae Matthioli, spiritu matricali &c: omnes postea ad vinum redierunt, videntes haec omnia callum facere: Qui ferinas carnes per totam aestatem integram servare volunt, eam condiunt (ut in Germania praecipuè in Aulis fit) cum vino Rhenano austero, addito pauco sale marino.

Sume nunc summi vini optimi &c: uncias xij, et ei immisces salis Ammoniaci unciam j, et aceti simplicis vel stillatitii uncias ij vel iij, hincque facis fomenta, quae tepida applicata tota nocte facilè retinentur, imprimis si pannis madidis applicatis obvolvatur saccus oblongus ex vesica suilla oleo emollita, ut actio remedii determinetur et applicata retineantur: Hoc certè summum est remedium, quo difficillimos tales casus superavi.

Interdiu autem hi homines non possunt cum tot fomentis applicatis in publicum procedere, hinc tum tantummodo Emplastrum de Mucilaginibus et de Meliloto applicetur.

Non memini mihi occurrere ullum tale symptoma, quin methodis istis curari possit, si modo audacter et benè omnia instituuntur: si vero neglectum fuit, et suffocatio oritur, glans cadit.

Nunc

De Lue Venerea.

Nunc antequam hanc Historiam omittamus vocamur etiam, 1mo Ad Verrucas Venereas, et 2do ad Testium Tumorem.

De Verrucis Venereis.

Si cutanei Nervi extremitas extra Epidermidem dilatatam excrescit in tuberculum duriusculum et scabrum primò non dolens Verruca dicitur.

Hoc malum semper est in iis Locis, ubi subjacet cutis; sed cuti incumbit Epidermis, huic succumbit Rete Mirabile Malpighii: deinde sub hoc papillae nerveae sentientes, quae penetrant per Rugas retis hujus, non vero Epidermidis, quae per se est glabra. Demonstravit Malpighius, quod in istis sulcis per vallos quasi undique defensae papillae nerveae emineant: In una papillula sensibili et microscopio vel oculo nudo visibili haeret exilissima particula, quae proprie est nervus sentiens. Sed haec papilla nervea numquam procedit sola, nam tunc pilus vel unguis cresceret; sed illud ultimum habet sibi obvolutam thecam, quae nobis apparet alba, sed capreolis rubrorum vasculorum undique cingitur. Hinc papilla nervosa tactilis 1mo est Nervi Productio, quae 2do est reposita inter thecam quandam pilosam, non quidem nervosam, sed plurima et subtilissima vasa habentem.

Jam Verruca quid est? Malpighianum reticulum est aequabile planum extensum sub Epidermide tenuissimum, sed simul solidissimum, partim planum, partim sulcatum. Ubi planities est, integumentorum fibrae concreverunt inter se; sed in Locis, ubi sulci sunt, partes nervosae excoriatae se recondunt:

Nunc duplex locus est in corpore nostro: in quibusdam Locis deficit illud reticulum, ut in Labiis, ibi non est cutis, sed textura vasorum, quibus Epidermis, hic Epithelium dicta incumbit, et hinc quando per imprudentiam illa membrana Labiorum aufertur, oriuntur horrendae excretiones, brevi in Cancrum vergentes, nam, simulac haec membrana abscedat, statim ingens fissura cum Labiis retorridis, et inde fere semper Cancer oritur.

Ergo in iis Locis sic ponuntur erectae papillae, ut sibi mutuò oblique incumbant. Omnes obvelantur tenuissima membrana Epidermide, et vocamus Labium.

Quamdiu Epidermis integra est, in suo statu manent hae papillae; simulac verò Laxata, vel rupta est haec membrana, statim hae papillae (quia vasa sanguinea sub ea haerent) à se invicem dilatatae ex situ declivi in erectum assurgunt, unde illae excrescentiae:

In Locis autem Reticulum Malpighii adest, hoc coërcet illas papillas, hinc Cuticula hic ablata, non assurgunt papillae, sed ubi hoc eroditur, papilla rursum erumpit per Epidermidem, et fit subdurinscula protuberantia, scabra, primò non dolens quae Verruca vocatur.

Ergo potest verruca oriri in duplici Loco, vel ubi derma haeret, vel ubi praeter papillas nervosas nihil haeret nisi Epithelion; ubi verò derma cum suo reticulo non adest, Longè periculosiores et pejores verrucae fiunt, hinc ad pudenda omnium pessimae.

Jam quaeritur, quid sit Verruca? Non potui horrendius spectaculum unquam videre, quam cum homo quidam Amstelodami,

inciperet

De Lue Venerea.

inciperet habere in tota facie myrmecia seu formiculas: homo ille
se committebat nunc hujus, nunc alius consilio, et Verrucae fiunt in
dies plures et majores, donec tota ejus facies esset verrucosa. De„
scripsi statim materiam Verrucarum esse naturalem papillarem,
quae turget et Luxuriatur: Hinc solus nervus hic manet nervus,
sed ejus integumenta protuberant. Scitis quod si sanissimo prae„
ter Apoplexiam homini per terebrationem aufertur portio cranii,
et dura mater etiam laeditur, et si tum pia mater minimum ma„
lum accipiat, tum Cortex Cerebri vi arteriarum Carotidum extratru„
ditur in fungum capitatum per foramen in Cranio factum protu„
berantem: Hinc in sit: fit, quam quod repagula resistentia aufe„
rantur. Nunc hoc sunt quantum videre potui Verrucae.

Omnis Verruca in initio negligitur, sed ubi major fit, dolet, sca„
bra, aspera fit, colorem mutat in rubrum, purpureum nigrum, et si
tum ureris haemorrhagia potest perire aeger. Tum omnes hae ver„
rucae incipiunt cancrescere; oritur inflammatio, quae sum„
mum dolorem facit, et quia facile resolvi non potest, omnia fa„
cit Luxuriari et putrescere.

Ortus harum Verrucarum, quatenus fiunt sine Lue Venerea,
semper est vitium in parte Nervi Thecaria: Causa cur fiant,
est fere semper repaguli coërcentis Labefactatio: Vis autem
vitae eas propagare solet.

Hinc Verrucae sunt, vel ubi cutis adest, et ibi non admodum
malae sunt, vel ubi cutis deficit, et ibi pessimae sunt: illa
autem Loca, ubi deficit cutis cum suo reticulari corpore sunt
Oculi, ubi horrendae verrucae fieri possunt à sola irritatione
animalculi Venenati incidentis, qualem casum vidi, in nari„
bus et ore deficit, in dorso Linguae adest, sed in Latere et parte
ejus inferiori ut et in faucibus Larynge, Aspera Arteria, Bronchiis,
Oesophago, Ventriculo et toto Intestinorum tractu deest cutis,
sed solum Epithelium adest.

Alter Locus est in Genitalibus: in Viris totus Meatus Urinarius,
Glandis Convexa et Praeputii concava pars, in foeminis Labia Nym„
phae, Clitoris, et tota interior Vagina ad Os Uteri internum usque.
Oriuntur in Lue Venerea tales Verrucae à Lue Venerea, in Vi„
ris autem omnium maxime in Glande Penis, in foeminis in Vagina.

In Viris plerumque haerent in tota superficie Glandis: quia
Glans exterior nihil aliud est nisi stratorum papillarum in„
numerabilium series sibi incumbentium, minori copia ad aper„
turam Urethrae, maxima vero copia ad Coronam, quia oblique si„
bi invicem incumbunt.

Hinc nunc in tota superficie oriri possunt, sed omnium max„
ime ad Coronam, minime ad aperturam Urethrae.

Hinc ergo videmus, quod hic natae Verrucae in nulla parte pe„
riculosiores sunt, quam in posteriori parte glandis, quia ibi Epit„
helion non valde coërcet, vis vitae hic urgens facit statim, ut
dissiliant partes, et facit, ut in omni puncto oriantur, adeo ut in
annuli speciem excrescant, unde putarunt Auctores, esse ali„
quid genitale proserpens vel seminale in his Verrucis: Hic
Loci facillime degenerascunt in cancrum, et in Crista saepe
exorbitant,

De Lue Venerea.

exorbitant, quas cristas ego vidi tantas factas fuisse, ut usque extra praeputium glandi obductum prominerent.

Observavi ante multos annos, Verrucas nasci in ipso cavo meatus urinarii, ubi augentur sine multa molestia, excepta quadam irritatione, caeterum Lotium satis facile reddebatur. Cum hae Verrucae ibi sic à me observatae essent, Auctores revolvi, sed vix inveni, illos observâsse. Cum vero hic non possem accedere, dedi purgans ex Turbith minerale, et tum hae Verrucae cum Lotio exibant.

Ad anteriora meatus urinarii hae Verrucae aliquando nascuntur, uti ipsum urethrae orificium illas ostendat eminentes.

Ut Verrucae in toto corpore exasperatae saepe mirificè suppurant, ivi, sic etiam illud hic fieri potest; sed haec acerbatio tanto pejor est, quantò Lues Venerea pejor est simplici suppuratione. Sed uti verrucae facile in Cancrum tendunt, ita et hic visum est, quod qui has Verrucas imprudenter tractarunt, pinerimis per rodentia, excitaverunt tantum motum, tumorem et affluxum humorum, ut scirrhescerent et cancrescerent.

Sedes ergo, et natura hujus mali definita est exquisitè, et rat, io data, cur maximè in Corona Glandis majori copia oriantur Verrucae, quia scilicet ibi plures Nervi sunt, quia Glans ple, runque ibi tecta manet, et quia materies olida saepe putrida ibi secernitur et acervatur.

Curatio hujus mali ut bene procedat.

1mo. requiritur fortissima purgatio sanguinem dissolvens, Ve, nereum tabum expediens, mercurialis, sine qua non vidi haec ma, la topicè attacta sanari: Ergo Radix curationis in ea ponitur; et illa curatio tum tam mirè procedit, ut viderim, verrucas genitas in superficie interna meatus urinarii, et dato uno altero ve pur, ganti, quasi novacula abscissas per urinam exivisse: Omni, um maximè hoc fieri debet, si verrucae jam cristatae evaserint nam in iis raro super pulcherrima topica proficietis, nisi tantum modo per haec purgantia, Turbith Minerale est remedium à Pa, racelso, in libro parvo Nosocomii primò adhibitum, ubi Auctor di, cit: sic cum Oleo Vitrioli solutum fuerit argentum vivum, et hoc factò aquâ ablutum, et cum Alcohole destillatum aliquoties, habet, ur hoc remedium, cujus grana quinque, sex, octo, data cum The, riaca has verrucas eradicant.

Mulier fuit Parisiis clarissima eradicante Curatione Luis Venereae; haec per successivos dies dabat magna dosi medicamenta, et homines deducebat ad tantam debilitatem, ut quasi mor, tui fierent, et sic radicaliter curabat morbos, nullo alio re, medio curandos: Dabat autem idem hoc remedium.

Helmontius Pater de Mercurio Paracelsico dicit: Accipe pul, verem Joannis de Vigo (qui erat Mercurius Praecipitatus ruber) propria manu paratum, huic superaffunde elementum ignis, quod est oleum Vitrioli, summa vi per tridianam flammam destillatum; tum simul ac Oleum vitrioli affunditur, spiritus Nitri expellitur, sed tum sine ebullitione accedens oleum vitri, oli condumit Mercurium, et tum habetur Turbith Minerale, et hoc aliquoties destillatum cum aqua, ut acrimonia minuatur.

Paracelsus

De Lue Venerea.

Paracelsus Jubet hoc dandum cum Theriaca, prudentissimo certè consilio; nam saepe in Intestinis et ventriculo facit Haemorrhagias, quas optimè sistit Theriaca: Thomas Sydenhamus, quando loquitur de medicamentis inveteratas Lues Venereas curantibus, hoc Turbith etiam commendat. Verum hoc remedium ipsi ritè praeparare debetis; nam si pulvis albus remanet, non satis edulcoratum est, tuncque Intestina erodit et saepe Diarrhoeam facit: Hinc citrini coloris esse debet, et aqua affusa inde recedens nullius saporis.

Si sic edulcoratum adhibetur, raro malum facit, et si homo tener est, prudenter dari debet à granis IV ad VIII. Apud Cockburn videtis datum in nonnullis usque ad grana XIV et XV. Ego vero nunquam ad grana VIII accessi, et tamen pulcherrimum successum habui.

Mercurius praecipitatus albus, si ad grana iij miscetur cum Pillularum Cochiae Drachma ß bene agit. Mercurius praecipitatus ruber si ad granum j vel ij miscetur cum Extracti Catholici granis X idem praestat.

Haec mala solent his remediis radicaliter curari, sed his assumtis, homines saepe incidunt in Cardialgias dolentissimas: tunc ilico Theriaca danda est cum oleo Amygdalarum; nam signum est, hos pulveres ventriculum et Intestina rodere.

2do. Hoc dum singulo triduo aliquoties fit, partes verrucis affectae debent perpetuo foveri, ut verrucae labefactentur, emolliantur, laxentur, et mutantur à natura scirrhosa. Hoc fit balneo, fotu, cataplasmate emollientissimis; quod fit primò, quia verrucae facile exasperantur, et secundò ut vis sanguinis allati circa has partes non faciat nimiam Inflammationem: Sumitur V: G: Lac recens coctum cum seminibus Lini ad crassitiem cremoris Lactis, et additur paululum Nitri et Unguenti Basilici Aurei, Nutriti vel Populei.

3tio. Postquam haec facta sunt, debemus has partes tangere moderato Escharotico. V: G:

℞ Vitrioli Cyprini dr: j.
aquae Rosarum Unc: jß.
M. Et cum eo tange partes, ubi eminent

Verrucae. Vel

℞ Aluminis usti dr: j.
Aq: Rosarum Calid: unc: iij.
M: et applica ut praecedens.

aut aliter tanguntur quam Lenissime Lapide Infernali.

Videte quantas cautelas adhibeam: nam si adhibetis haec Escharotica, dum tentigo adest, aut aliquid virulenti haeret, statim horrendae Inflammationes et tumores fiunt: Sed si prius emollivistis, libere licet hoc facere, et hac via Levi valde proficietis.

4to. Omnia his tribus factis teguntur Emplastro Diacompl. tantum ut muniantur, et tum fit pulcherrima separatio. Cavendum autem, ne causticis nimis violentis verrucae exasperentur: nam tunc horrendi cancri oriuntur. Nemo credere(?) diu glandem penis esse membranam cellulosam, sed Ruyschius invenit, quod Epithelion

possit

possit extendi in telam subtilissimam: hinc quando hae partes inficiuntur, iterum constat, qualia mala inde debeant oriri.
Eadem ratione, si verruca talis incipit rubra, coerulea, subnigra fieri, et interim dolere et signa inflammationis exhibere, cavete ne escharoticis attingatis, nam Haemorrhagiae orirentur vix sistendae: quando enim hoc fit in extendo veretro, arteria non potest ligari, nec escharoticis tangi; ergo tunc potius emolliendum, et methodo aluminosa levissime attingi.
Omnes verrucae in urethra interna eodem modo curantur; verum si quid accelerandum putatis, tum decoctum Herbae Malvae cum Melle mercuriali in Lacte recenti diluto, ter quaterve de die leniter injiciatis. Summa igitur prudentia hic est agendum; nam summi Auctores hic praescribunt oleum Vitrioli, Mercurium Praecipitatum, Trochiscos de Minio Sigonis &ct. sed, credite, longe plus proficietis, si emollitis prius partibus escharotica lenissima adhibeatis.

Corollarium.

Ex his patet ratio, quare in initio urethrae ad Locum froenuli frequens oriatur fistula? Multum certe de hac re disputatum est.
Si quis laboravit satis pacata Gonorrhoea, at virulenta tamen, tum post curationem morbi saepe exquisite ad finem urethrae in illa parte glandis, ubi nulla fungosa fabrica superfunditur, id est, ubi froenum adnectitur, oritur parvum ulcusculum, quod plerumque negligitur: hoc depascitur omnem fabricam, et facit exiguum foramen rotundum, saepe non majus aciculae capite, et saepe tota ista urina et semen ejecta, partim per hoc, partim per anteriora ejiciuntur magno incommodo.
Quaenam est ratio hujus mali? haec facile ex praecedentibus intelligitur. Novistis, Lacunam maximam proximam esse huic parti, quae paulo superius ad coronam glandis sita est. Notissimum est, Gonorrhoeae creberrimam hic esse sedem, imprimis si illa paulo laxior fuit. Hinc semper maxima vis veneni venerei agit in hanc partem: Orificium extremum urethrae semper clausum est, nisi in Gonorrhoea laborante: sed et illi tamen nocte constringitur, unde praecipue tunc temporis stagnat ante illud ostium: Ibidem est tenenitudo partium summa, vix unguis humanae crassitiei similis; praeputium plerumque operit hanc partem, hinc maxima rosio circa illud anterius ostium meatus urinarii debet fieri: sed ejus pars debilissima est hic Locus, hinc haec pars statim perforatur; quo facto oritur callosus margo, et ulcus vix curatur.
Hoc malum nunquam accidit, quando balneis et fomentis partes foventur, sed fere semper, quando simpliciter remedia interna adhibentur.
Ergo Prophylactice est curandum, imprimis si homo hic incipiat pruriginem sentire.
Si hoc malum jam factum fuerit, curatur methodo satis operosa.
1mo. Scilicet fieri debet valida venae sectio. Dicetis, an requiritur venae sectio ad fistulam curandam? non; sed ut ea quae ingerenda sunt, facilius ingrediantur et ad partem affectam ferantur, ac ut caveantur, quae ex curatione supervenire possunt:
2do Purgatio Antiphlogistica triduaria, ut etiam tollam diathesin inflammatoriam.

3tio. Diaeta

De Lue Venerea.

3tio. Diaeta tenuis. 4to. Balneum quotidianum. 6to. intra meatum urinarium trudi debet tantum ad anteriora laevis candela cerea. Hoc fit, ut urethra sit dilatata: tum illud foramen est patulum inferius, et cavetur, ne remedium applicandum veniat ad partem oppositam interiorem urethrae. 6to. tum sumitur Lapis Infernalis tam acute deradus, ut non crassior sit quam acicula, et dum candela ibi haeret, intromittitur ille Stylus Lapidis Infernalis, et relinquitur, donec sex vel octo numerares, tum margo fere exedus erit, hinc aufertur Lapis et manet adhuc candela.

Si Lapidem Infernalem applicarem sine candela prius immissa nunquam patet foramen: quando vero nunc sic applico, Lapis infernalis non potest attingere nisi marginem foraminis, alias vero oppositam partem urethrae eroderem.

Ergo educto Lapide infernali 7mo. relinquimus candelam per dias tresve horas, donec evanescat vis Lapidis infernalis, ne veniat in cavum urethrae: tum Labia illa perfecte cruda sunt, tum Lacte eluitur, et tum demum educitur candela: si tum 8vo. applico unguentum Basilicum, Butyrum recens vel Balsamum Arcaei coit facillime, et fistula curata est.

De Tumore Testium in Gonorrhoea.

Hoc malum examinatum est tumor in corpore testis, per totam testis fabricam, sic ut aequabiliter extrorsum extendatur. Tumor est durus ad tactum; duritiem scirrhosam in initio non habet, sed talem, qualem habet vesica aqua impleta.

Tumor ille saepe subito, plerumque tamen lente assurgit in molem mirabilem. Moles illa dolorem magnum non parit, sed molestiam summam ex eo, quod cum haereat suspensus testis à Tunicâ vaginali, vasis spermaticis et deferenti, hinc solent urgeri hae partes et facere dolorem molestissimum sub osse pubis.

Tumor fere semper est ad Epididymidem imprimis, et ibi semper primò nascatur. Vasa varicosa testis, tunc solent valdè intumescere, et illa habena testis, quae dicitur vas deferens, fit longè major et crassior, quam antea fuerat, et hic tumor procedit usque ad vesiculas seminales. saepe Epididymis tumet, teste non tumente, et saepe post tumorem sanatum habenae scirrhosae et durae manent.

Ex hac historia colligo, quod hic dilatentur omnia vasa testis, quia tumor est aequabilis in toto teste et fabrica seminali.

Hinc si hoc verum est, hic debet fieri aggestio major materiae, quam naturaliter, nam moles est gravior, et hinc egeritur minus quam tempore sanitatis.

Hinc apparet quod totum hoc malum consistat in eo, quod materia plus aggeratur, et minus egeratur quam naturaliter.

Sed Arteriae, quae huc veniunt, sunt Arteriae spermaticae: hae distribuuntur partim per exteriora testium, sed ibi malum non haeret: sed totus tumor est tantum in vasis internis testium, et dein in vasis ejaculatoriis, ad quae bina loca reliquae Arteriae spermaticae vadunt.

Ergo

De Lue Venerea.

Ergo ille tumor est nihil aliud, quam impedimentum utriusque vel unius materiae testibus factae, quae deberet naturaliter se evacuare ad illud quadrivium, ubi vasa deferentia haerent, et eunt ad collum duarum vesicularum seminalium. Sed tunc in initio nil tumet nisi illud vas Epidydimidis, et si cura tempestive statim instituitur, non ultra progreditur: sed simulac impeditur ipsa Epidydymis, brevi etiam testis laborat.

Ergo non adeo usque est communicatio Tabi Venerei, sed materiae bonae, quae stagnans ibi colligitur in vasis deferentibus, et dein aggesta totum illud pondus et extensionem facit illi parti.

Novistis, fabricam interiorem testis sub tunica Nervea reconditam habere duplex vasorum genus; unum quod ipsam fabricam facit vases conficiundo, et continendo semini destinatis: secundo sunt alia vasa destinata eo, ut haec vasa animalia contineant, vivificent nutriant:

Omnia vasa primi generis, scilicet semen conficientia sunt propago arteriarum. Hae arteriae ab una tertia parte arteriarum ad testem latarum oriunda non desinunt in venas, sed patulis osculis extremis liquidum genitale confectum effundunt in cavas conceptacula intra testes haerentia. In Brutis est unum tale conceptaculum, quod corpus Olorinum, Highmorianum &c. vocatur; sed in teste humano plurima vascula tantummodo in pauciora et pauciora vasa materiam suam infundunt.

Omnis ille humor sic confectus intra has partes depositus, videtur ibi duplici modo recondi. In apris demonstravit Bonclarius Datyrius, quod totus testis per septum medium dissecatur, et quod tunc ad latus utrumque hujus septi sunt cellulae membranis destinatae, circum quas flectuntur, et serpentino cursu desinunt arteriae quam plurimae. Omnes hae cellulae in unum corpus Olorinum desinunt: In Glire, et mure terraneo similis est fabrica; et haec animalia, ut salacissima, sic et impraegnantissima sunt.

In aliis animalibus evolvendo testem totum, ibi omnia vasa in fines arteriosos desinere apparent.

Ergo omnis exitus humoris genitalis est in unum vas Epidydimidis, quae abit in unum vas adducens, quod in vesiculis seminalibus se inserit. Hinc duplex est hujus seminis via; una, dum saepe coëunt animalia tempore orgasmi Venerei omne semen non retroit in vesiculas seminales, nam insertio vasorum adferentium contrarium docet, sed tunc vasa adferentia comprimuntur aeque ac vesiculae seminales, nam aeque ambiuntur membrana fibrosa: Alias vero semen in hominibus rara Venere utentibus semet per vasa adferentia allatum aggregatur et retinetur in suos usus intra vesiculas seminales.

Ergo si exoritur hic aliquis tumor impediens hanc emissionem, debet haec obstructio etiam alia vasa tumefacere: tunc, simulac testis à centro tumefit, ejus membranae etiam tumefiunt; ergo etiam omnes arteriae huc latae; unde oritur ad primum illud malum, scilicet emissionem impeditam, etiam alterum malum, quod est partium inflammatio: quod patet ex phaenomenis; nam homines primò sentiunt testes se, quasi dissilire et extrorsum premi, et hoc peracto oritur paulò post tumor tam magnus, ut incredibile sit:

Hoc

De Lue Venerea.

Hoc si intelligimus, jam videmus, quod videatur sedes hujus mali originalis haerere extra testem, et invenimus hoc tempore omnia vasa circa testes posita et in tunica vaginali esse Aneurismatica et Varicosa.

Hujus rei perfecte contrarium in aliis tumoribus testium occurrit, ut in Hydrocele.

Quaeritur, quaenam sit causa hoc faciens? omne, ut videtur, quod facit impedimentum circa insertionem extremam fistulae adducentis in vesiculas seminales, sive intra, sive extra eas, sive paulo remotius ab iis haereat. 1º. Verum omnium maxime hoc fit, quoties Gonorrhoea sistitur adstringentibus remediis. Gonorrhoea est morbus Lacunarum in cavum Urethrae Liquorem evomentium. Hae omnes inter se communicant, ut demonstratum est, pertingunt usque ad Locum, ubi Prostata est: si jam per quamcunque causam materia in Gonorrhoea genita, impedita exire, retrofertur, potest facillime venire ad hoc corpus, unde emissaria hujus, et pollicem altius vesiculae seminales possunt comprimi: Non novi, vidisse me unquam tumorem testium, Gonorrhoea acriter fluente.

2da. Causa est exercitium equitationis; nam sessor maxime incumbit perinaeo, tuncque Gonorrhoea jam nata facile adigitur retro, unde hoc malum acceleratur.

3ia. Causa est Balsamica Methodus curandi Gonorrhoeas: Amstelodami, Roterodami, et in omnibus magnis Emporiis, ubi sunt Classiarii, fiunt saepe haec mala: utuntur Chirurgi Balsamo Copaibae, cantharidibus &ct: vix in Gonorrhoea forti haec aliquamdiu applicantur quin Tumor testium oriatur: vidi semper quando hic oriebatur, Oleum Terebinthinae, Juniperinum, Balsamum Copaibae fuisse applicata extra meum consilium, si homines mea cura uterentur. Olea cum sulphure cocta acquirunt summam vim calefacientem, ut est Balsamus sulphuris, quo uti solent Agyrtae. Fateor, si haec data uno impetu omnia detrudunt, fieri saepe felices, sed semper periculosas curationes.

Nunc est Practicis alius tumor testium, quem multoties vidi, et qui curatur facile. Illo aetatis gradu, quo pubes crinium oritur, accidit saepe, ut recens natus humor genitalis partes impleverit, vel si quis per saltum has partes contuderit; tunc tumor Testium cum summo dolore fit, et si quis imperitus videret, putaret esse à Lue Venerea.

Hic morbus est frequens, et durat plerumque per tres, quatuor, plu resve dies cum pondere et dolore; tuncque sponte transit, eodem fere modo, ut in foeminis vasis nondum dispositis ad menstrua, oriuntur dolores circa Lumbos. &ct.

Ille si vobis occurrit in hac aetate, levi purgante, plurimo Lapide Cancrorum et fomentis ex Lacte cum sapone Veneto, et saepe dicta curatur. Sed si imprudentes hic aliam methodum applicatis, ut diureticorum, et calefacientium, malum saepe malignum evadit.

Hinc ergo aliquando fit in hominibus jam infectis, ut ad tumorem illum testium jam natum, Contagium Venereum se inmisceat, tum fiunt saniosae rupturae et fistulae pessimae per scrotum apertum

se

De Lue Venerea.

se exonerantes: sed hoc rarissime videbitis contingere, nisi simul adsit Lues Venerea in corpore.

Testis fere nunquam suppuratur in corpore sano, sed quando simul Labes Venerea est in toto corpore, tum ad hunc Locum contagium applicatum facit secundum genus Tumoris Testium, scilicet cum Lue Venerea juncti. Fit autem hoc, ne semel quidem ex centum casibus.

Malum hoc ut curetur. 1º. Tumor, qui obstaculum facit, tolli debet per resolutionem. 2do materia hic haerens duplex incrassata, amissis partibus liquidissimis, ducatur in motum, una in venas, altera in Epididymidem et vas educens: sed hoc, ut ocyssime, sic et prudentissime debet fieri; et si usquam, festinandum hic, sed lente.

1º. Ut tollatur tumor, debet larga Venae sectio institui, quae, si non remittit dolor, tumor, tensio, aliquoties est repetenda: nam sine illa hoc malum vix curari potest.

2º. Simulac hoc factum est, statim purgantia satis fortia, ut maxime resolventia, attenuantia, et antiphlogistica dari debent. Agaricus, Folia Sennae, Tamarindi, Manna hic nomen meruerunt, nam solvunt sanguinem, et liquida derivant deorsum. Saepe vidi, ex Uncia una mannae, homines libras aquae ex intestino recto emisisse, nec tamen vel minimam inflammationem invasisse. Cremor tartari ad Unciam unam mutilat cum materia liquida expellit. Hinc eligimus haec remedia, sed quoniam nauseosa sunt, hinc Scrophularia Aquatica seu Nodosa additur: addimus et radicem graminis vel ejus succum, quia vim solventem summam, sed sine ulla inflammatione habet.

Fecit Deus quaedam medicamenta simplicia, quae revera vim habent attenuandi et fundendi nostrum sanguinem, si rite usurpantur: Haec sumi debent tamdiu, donec oriatur diarrhoea quotidiana.

3º. Interim dum hoc fit, debemus cogitare, quod omnis haec actio determinetur versus haec loca: ergo cavendum, ne tentigo oriatur in his partibus, quam experientia fieri à purgantibus maxime demonstrat. Ergo utantur emulsionibus Papaverinis cum lapide prunellae, emulsionibus ex avena cruda seminibus quatuor frigidis majoribus et minoribus: maximum autem hic remedium est Nitrum, quod sopit, imo extinguit optime hunc ignem:

4º. Quoniam tota haec pars latet saepe in Intestino Recto, hinc balnea et fotus hic applicata, resolvunt maxime hunc tumorem, qui facit tumorem testium: hinc clysmata emollientia, resolventia injiciantur ex solo Lacte cum Syrupo Althaeae, aut melle; additur semper aliquid Nitri, et applicantur semper evacuata prius alvo.

5º. Fomenta ad pubem, scrotum, perinaeum applicantur emollientissima et resolventissima. Cataplasmata de quatuor farinis hic sunt optima; nam illud quod dilatat arterias, aeque resolvit, ac id, quod liquida attenuat:

Quoniam

De Lue Venerea.

Quoniam haec et similia innoxia sunt, sine haec eligimus v. gr.

R. Farinae Fabarum Romanarum Unc: IV.
Coque cum Oxycrato. adde sub finem
Salis Ammoniaci. q. s. et
Olei Lini aliquantulum.
F. Cataplasma.

6°. Suffumiganda pars aliquoties in die est: videantur suffimigia superius proposita: sic et vapor aquae, si determinatur versus has partes, imprimis si additur paululum aceti. si siccum fomentum velites, Olibanum cum pauco salis Ammoniaci in ignem injiciatur.

7°. Moderata frictio, sed cum summa prudentia circa perinaeum scrotum, testes, sine doloris incitamento, quantum aeger potest ferre: hac methodo non vidi casum, qui superatus fuerit, nisi jam essent scirrhosi et lapidosi facti testes: tum saepe fit etiam tumor scroti ad tumorem testium accedens, unde tanta mala, ut medicus de curatione desperare incipiat: tum sola amputatio potest proficere, nam testis sic constitutus facit, ut vasa genitalia usque ad ortum suum ex aorta aneurismatice tumescant cum molesto dolore, et ut omnia tum aequabiliter scirrhosa fiant. In hoc casu ipsa salivatio nihil amplius juvat, nisi forte in initio detur Turbith Minerale ad quinque sex vel octo grana, unde oritur aliquando Dysenteria, qua sedata, nec hoc malo curato, amputatio debet fieri.

De Gonorrhoea in Foeminis.

Si homo, infectus Lue Venerea, utitur sana muliere, et materies hucusque descripta in Gonorrhoea virili virulenta una cum semine genitali projectum fuerit in sinum muliebrem, tum in foemina oriri potest Gonorrhoea fere talis, ut in viro, sine ulla fere differentia, unde tota illa descriptio fere hic locum habet.

Nunc statim ea modo dicta lege intelligitur, quod sit triplex humor, qui ab sic infecto viro foeminae purae participatur nam

1°. Hic est Liquor Gonorrhoeae proprius falso dictus semen.
2°. Vir hic humores nativos urethrae, glandis, et praeputii communicat, et 3°. etiam semen de vesiculis seminalibus, vasis ad ducentibus, et prostatis communicat.

Statim jam quaeritur, quaenam sit ex tribus harum materiarum generibus, quae facit hic illud malum? materies, quae in muliere sana hanc Gonorrhoeam facit, non videtur esse verum semen, nisi ab homine infectissimo.

1°. Historia medica Gonorrhoeae virulentae in viro nobis persuasit, Gonorrhoeam posse esse virulentissimam et copiosissime fluentem, reliquo corpore et sanguine intacto à Lue Venerea: est autem hoc adeo certum, ut in praxi forte nihil liquidius sit; nam curata hac Gonorrhoea, homo caeterum nullo morbo laborat.

2°. Gonorrhoea

De Lue Venerea.

2°. Gonorrhoea ex historia data considerata, (quantum videre potui) est ablutio per copiosum laticem facta a natura illius materiae venenatae, quae deficienti hoc fluxu in siccione corpore intra corpus recepta Luem Veneream genuisset: nam Gonorrhoeae solis fere purgantibus curantur.

Hinc quemadmodum constat illi sic conciliari, ut in viro, sic etiam est materia illa inficiens, quae in viro Gonorrhoeam faciebat.

Si autem inficiens materia adeo penetrabilis sit, ut medullitus infixa haereat, et dispersa fuerit per totum corpus, tum semen etiam potest hac tabe infici; sed tum mulier raro Gonorrhoea laborat, verum subtiliori quodam morbo inficitur. Hoc constat experimentis; nam certe mariti Gonorrhoea pessima laborantes, utique valde mala, si coëunt cum suis uxoribus, saepe viderunt prolem sanissimam. Rursus viri infecti absque ulla manifesta nota in genitalibus procreant miserrimos infantes.

Hinc credibile est, in origine Gonorrhoeae muliebris, illam fere semper tantum deberi materiae Gonorrhoicae viri, raro autem semini ejus, vel ipsi semini infecto: nam tunc tamen foetus saepe sanus prodit.

Plerumque ergo causa Gonorrhoeae in muliere pura est ipsum illud malum, quod in viro erat titulo materiae Gonorrhoeae virulentae, quae materia cum semine immissa infectionem parit.

Si vero vir sic coëuns laborat ulcere in urethra, cujus focum prius in hoc coitu appositum sit interioribus genitalibus mulieris, potest etiam Gonorrhoea altera produci: et experimenta demonstrant, quod homo non laborans Gonorrhoeâ, sed ulcere Venereo in illa parte, infecerit etiam mulierem prima vice.

Qui vero Lue penetratus est, sed omni vitio Gonorrhoeae caret, si coit cum foemina, potius Luem quam Gonorrhoeam parit: si verò solo veretro affecto coit, potius Gonorrhoeam quam Luem facit, quod per plurima experimenta mihi constitit.

Multae mulieres antea purae infectae fuerunt à viris laborantibus veris morbis palati, faucium, narium &c, et ulceribus per totum corpus, sine ulla praegressâ Gonorrhoeâ ipsae afficiebantur. Contra multae laborarunt Gonorrhoea virulenta per annos sine ulla Lue Venerea: verum tunc illa defenditur ab interius serpere conanti malo, dum interim quam plurimos inficit, ut apparet in prostibulis, ubi mulieres Lue Venerea laborantes manent per plurimos annos vix consumtae.

Humor ille ejectus (Medici loquimur Medicis, casti castis, castis auribus, castis animis) quasnam partes attingit in muliere? Hoc si evidenter perspicimus, aliter intelligetis, quam descriptum est hactenus, errores evitabitis, et veram videbitis horum morborum curationem.

Ergo hic humor non potest ulterius venire, nisi ad eminentem proboscidem, sive os uteri. Hoc os non est continuatio cum vagina, sed est prominens intra vaginam, et ultra nectentia vincula vaginae: Hinc prima pars sinus muliebris superiori parte terminatur parte tereti prominentis uteri inferiori.

Dein

De Lue Venerea.

Dein Ligamenta vaginae non tantum ambiunt illud os, sed totam partem uteri intra vaginam prominentem: hinc formatur cavum inter os uteri eminens, et vaginam circumpositam flaccidam. Ad hunc Locum usque, tanquam ad summum fastigium Gonorrhoea in mulieribus potest pervenire, (quemadmodum in viris usque ad orificium superius urethrae,) nam Gonorrhoeam in utero, credo nemo vidit. Ibi Laxitas est omnium maxima, quoniam providus naturae Auctor has partes tam contractiles et tam dilatabiles fecit, ut in graviditate sine perpetuo dolore possent extendi.

Inde deorsum procedit hoc ipsum, et omne semen, et omnis humor determinatur in coitu perfecto semper primò in hunc primum locum; verum hinc facillime iterum defluit, nisi conceptus fiat; nam omnis mulier vel sanissima, quae recepit genitalem humorem, nisi conceperit, intra quadrantem horae vel semihoram ipsum dimittit, et linteis abstergit. Hinc patet, quod omne illud ibi appositum fluat deorsum. Conceptu facto tamen numquam omne semen transit in cavum uteri, sed mulier postquam verè concepit, tamen post parvum temporis spatium dimittit maximam partem humoris accepti: et hoc est adeo verum, ut Harvejus crediderit, semen ipsum nullo modo uterum ingredi; sed Clarissimus Ruyschius planè contrarium demonstravit in utero mulieris statim post congressum occisae. In Equabus, damis, vaccis, &c. foecundo conceptu facto tamen etiam maxima pars humorum redit.

Quando nunc hic humor redit deorsum ex hac prima Camera erit calidior, quam naturaliter erat; hinc ille humor ex Locis ubi aëri numquam fuit expositus, venit in Locum, ubi aërem attingere potest: Hinc humores hi statim virulentiam accipiunt; nam ilico Gonorrhoeae materia, si aërem attingat, corrumpitur, et fit putrefacta.

Ille humor defluens sistitur primò ad rugas vaginae; dein ad finem vaginae maximam resistentiam patitur, nam os vaginae inferius est valdè arctatum, et quasi desinit.

De Graaffius omnium optimè has partes descripsit, et demonstravit, vaginam ad uterum esse tenuissimam, et omni gradu descensus fieri crassiorem, sic ut, ubi terminatur, substantia ejus sit pollicem crassa: ab hoc incremento oritur illa arctitas; et hic est ille Locus ubi sistitur materia defluens, et ubi plerumque fit infectio, rarò in loco illo superiori.

Verum quando nunc extra hunc locum effluxit, extra os vaginae incidit in alas pudendi expandas, et quasi ori appositas valvas, ubi ibidem adhuc magis sistitur, et in his binis Locis tota ferè tragoedia luditur.

Ergo materies projecta ad illud fastigium usque, rarò ibi haeret in membrana lubrica, et perpetuò transsudante, id est revellente illum humorem à suis lateribus, imprimis in actu Venereo; hinc haec materia vel ferri potest (ut saepe fit) à muliere sine infectione, vel post infectionem defluit et sistitur ad dictas partes.

Si

De Lue Venerea.

Si nunc consideramus, quidnam hic occurrat mirifice ab Anatomicis detectum, videmus, quot hic sint partes, tot etiam esse Gonorrhoeas.

1º Locus vaginae ori uteri proximus est penitus glaber, habens ju-gum eminens nullum, Lacunas seu cryptas fere nullas, sed tantum poros minimos, quales fere sunt in radice Linguae. Non invenit-ur primum incipiens rugosum cingulum, nisi ubi descendas à su-periori illo Loco usque ad tertiam partem Longitudinis vaginae et haec Loca sunt Longè aridiora, quam reliqua, et magis clausa. Ergo hic est facillimus excessus Liquidi recepti, haecque ratio est cur hic loci rarissimè inveniatur illum malum Venereum; quia scilicet demonstratum fuit, vasa quae menstrua exonerant, esse illa, quae humectant interiora uteri, quo tempore menstrua non fluunt: Haec vasa si dilatantur faciunt menstrua, ubi vero incipiunt contrahi, fluunt illa sub subalbis, spissus, et si magis adhuc arctantur, emittunt tantum tenuem simplicem Lymphiam.

Hinc ibi est arteriarum perpetuum quasi stillicidium; nam si ullus Locus est, ubi arteriae plus evomunt, quam venae rebi-bunt, credo esse in cavum uteri, et in partem illam mox indi-catam.

Jam Menstrua naturaliter tantum exeunt ex Utero. (ut Anatomici demonstrarunt) sed in iis foeminis, quae abun-dantiora menstrua habent, etiam exeunt per Locum illum superiorem vaginae. Hinc raro hic fit infectio 1º propter politam superficiem, et 2º propter continuam ablutionem.

2º Ad tertiam circiter partem, à fastigio illo summo incipiunt oriri semicirculares plerumque eminentiae in toto cavo vaginae productae. Hae vocantur Juga sive Rugae, quoniam semper sibi interponant continuos valles. Haec nunquam ambiunt orbicilariter illud cavum vaginae, sed ubique vario modo defici-unt, eodem prorsus modo, ut valvulas in intestinis tenuibus vi-demus.

Omnes illae eminentiae sunt tantum papillae nervosae acutissimè sentientes, quae adscendunt in istis Jugis, et te-guntur in illis Rugis; hae sunt summum instrumentum vo-luptatis in re Venerea. Vide de Graaff paginâ 214. (quem Lo-cum cito, ut debitum honorem huic viro restituam.) Morgagni Adversa: I. pag: 12. Adversa: IV. pag: 45. et Santorini observatio-nes Anatomicas.

Nunc considerabitis, totum hunc Locum ita esse affectum, et in memoria retinebitis donec de Verrucis horrendis, hic saepe oriundis, dicam.

3tio Quando Vagina desinit in conniventem angustius os, tunc ca-tet in sinum muliebrem, fossam majorem, sive os externum pudendorum, ubi alia iterum occurrunt consideranda ad intel-ligendos morbos Aphrodisiacos. Quo magis hic descenditur, eo ju-ga sunt crebriora et eminentiora; quo plus sursum adscenditur, eo sunt pauciora et minora.

4º In

De Lue Venerea.

4°. In anteriori parte V. occurrit emissarium urethrae. Scire debetis, quod pauci observant, vesicam urinariam in muliere desinere in collum, ubi sphincter vesicae est, tum ex illa oriri urethram. Haec putatur vulgo directè sub nymphis in fossam patere, quod falsum est; nam decurrit in muliere ad minimum ad duos digitos latos à vesica; hinc tanto spatio decurrit quasi juxta exteriorem partem vaginae situ parallelo, tum demum ad distantiam pollicis minoris à Clitoride antrorsum deorsum desinit, non in sinum muliebrem, sed extrorsum: cingitur utrimque alis sive Nymphis mobilibus quae dum connivent, faciunt, ut orificium urethrae sit quasi intra corpus, ne scilicet ab injuriis aëris laedatur, et, dum mulieres lotium reddunt, faciunt, ne mulieres corpus suum conspurcent.

5°. Hoc orificium est tam mirifice constructum, ut veteres dixerint, hic esse prostatas, quam sententiam Auctoribus postea neglectam Graaffius restituit, et Morgagni ac Santorinus confirmant. Hic nunc est corpusculum eminens, quod ambit totam urethram, quae in superficie sua interna tecta est tenui membrana accuratè ut urethra viri; haec membrana structurae fere politae, quemadmodum in viro, format hac ratione canalem à collo vesicae usque ad hoc emissarium.

Nunc ambitur illa membrana interior (uti diximus) corpore crasso fungoso undequaque, ita quidem, quemadmodum urethra viri circumcingi solet bulbo urethrae.

Extra cavum hujus membranae ex hoc fungoso corpore emissaria sunt distincta apertis orificiis ellipticis, orbicularibus variae figurae, variae magnitudinis, variis in locis, perfectè ut in viris.

Haec foramina et hos canales Morgagnius in apertis juxta longitudinem urethris vidit: et hic est ille locus, ubi tam mira phoenomena saepè apparent.

Ergo fungosa haec substantia parat similes liquores ac in viris et hosce dimittit in eundem finem, ac in viro; ut scilicet inungatur et oblinatur interior superficies urethrae, ne à rodente urina laedatur, vel ne per frictionem ingentem, qua exprimitur ultima gutta urinae, laederetur. Vide Morgagni Advers: IV. pag: 44. Editionem Italicam; et Graaffii Opera pag. 203.

Scriptores de Lue venerea muliebri invenere phoenomena, quarum rationem non dant, plerumque ex ignorantia harum partium.

6°. His praemissis jam veniendum ad aliam machinulam: scilicet orificium urethrae sic dirigitur supernè, ut, dum patet ad anteriora, necessariò urinam extra sinum muliebrem projiciat.

hic

De Lue Venerea.

hic autem machina quaedam est, quam vocare possemus corpus glandulosum, vel Prostatam in foeminis, ut veteres recte appellarunt; nempe est ibidem tuber quoddam in omni foemina deprehendendum, satis magnum; hoc adscendit ad hunc locum in tuberculum molle, cujus centrum est orificium urethrae: hinc cum Nymphis facit, ut urina determinetur extra sinum muliebrem. Vide Morgagni Advers: I. pag: 12. et de Graaf pag: 103.

In hoc corpore sic eminenti invenitur fere eadem fabrica ac in Prostata virili, et circa os urethrae sunt orificia patula dimittentia humorem glutinosum, qui perfecte refert humorem prostatarum in viris; et in eodem corpore fungoso, non in illo corpore fungoso urethrae, gignitur. Hinc itaque tota haec fabrica, humor, orificia, emissaria, docent fabricam prostatarum plane eandem esse: haec differentia tantum intercedit, quod humor Prostatarum in viris tantum semini adfunditur, in foeminis utpote semine carentibus, non ita. Sed hic est locus, ubi in Lascivia Venerea mulieribus dimittitur humor cum impetu et resolutione corporis. haecque materia pro seminali foeminae habita fuit. Nunquam autem dimittitur hic humor, nisi libidine Venerea resoluta sit mulier. Apud Ovidium in Epistola XXI. Sappho Phaoni scribens inducitur versu 134.

Et juvat, et sine te non licet esse mihi.

Quem locum Vir quidam celeberrimus ea Lectione quadam optime explicat.

Liquor hic dimissus fere dimittitur, ubi exitus urinae est, adeoque non introrsum it. Atque hinc ille locus, ubi Vercellonius et alii adeo mirati sunt, cur sinuosa fistulosa ulcera penetraverint usque in ipsum montem Veneris.

7° In illo loco apparent postmodo dicta ipsae Alae, sive Cristae Muliebres, seu Nymphae, sive Prolabia: Haec sunt corpora mirificae structurae, et fere absolute referentia ea, quae in corporibus fungosis penis et urethrae descripta fuerunt. Totas esse fere vasa Ruyschius voluit; verum hic esse receptacula inter Arterias et Venas media, certum est: hinc in libidine Venerea hae Nymphae etiam inflammantur et rigent.

Clarissimus Morgagni in superficie extima et interiori harum descripsit innumera ostia magna, parva, quae destillant humorem album, spissum, perfecte fere, ut sub praeputio in viro.

Hic loci etiam plurima mala oriuntur.

8° Post haec considerandum venit corpus illud, quod Clitoris vocari solet: Nil fere videtur mirabilius, quam quod hoc corpus usque adeo referat penem virilem, ut hinc videatur opinio nata, mulierem esse introversum virum, et esse extraversam foeminam.

Corpus est habens glandem, corpora duo fungosa, perfecte ut penis virilis, quae corpora longe à Clitoride etiam ex ossibus pubis oriuntur.

habet

De Lue Venerea.

habet musculos Libidinosos adpositos, arterias venas, cellulas sanguineas absolutè similes, ut in virili pene, et extremitatem terminatam glande, quae etiam praeputio tegitur: habet suam tensionem, erectionem, tentiginem, resolutionem, perfectè ut penis virilis.

Locata est antrorsum sursum longè ante orificium urethrae et tuber illud, quod cum Veteribus Prostatam vocamus; adeoque ferè in suprema parte extra corpus vergit.

Omnia nunc mala, quae descripta in pene virili, statim vobis in memoriam revocant, quod hic contingere possint, praesertim cum hic sordes eaedem colliguntur ac sub praeputio virili, et cum Ruyschius hic etiam papillas nerveas demonstrat eodem modo se habentes ac in membro virili: Hinc ergo eadem mala oriri possunt, ac in glande penis.

Considerandum nunc est omnes has partes, imprimis inferiores tentigine Venerea turgere, ut in viro, sed illa tentigo tantummodo est à sanguine arterioso solo, et spiritus hic nihil faciunt aliud, quam quod musculos Libidinosos constringendo, refluxum sanguinis per venas impediant.

9º. Nunc in foeminis est Sphincter Orbicularis, quae in Libidine turget ita, ut ipsis etiam saepe incommodissimus sit.

10º. Considerandum praeterea, Clitoridem habere corpora singula cum suis musculis: Quando ergo hi musculi et constrictor vaginae agunt, omnes illae venae impediuntur, arteriae minus, nam vim habent à Corde:

Si nunc Legatis ea, quae ultimò observavit Santorinus in Observationibus Anatomicis: si collatis, quae scripsit Morgagnius, Graaffius, et Douglas in sua Myotomia Reformata; haec omnia vobis certissima apparebunt.

Ulcera Venerea, vulgò Chanckers dicta In Foeminis.

Primò scilicet accidunt hic loci illa genera malorum, quae voluit hodiernus usus, ut vocarentur Chanckers. Sunt ulcuscula Venerea, quae non patiuntur se referri ad genus ullum malorum antea cognitorum, quae mox ac integumenta ablata vel disrupta sunt, in fungi speciem excrescunt. Haec in viro accuratè descripsimus.

Hi Canceri primò oriuntur, in omni vaginae Loco rugoso; nam quemadmodum Canceri oriuntur viris in Glandis superficie in praeputio externo, interno, in tota cute penis, ita facilè dabitis, haec Loca vaginae interiora calida, nervosa iisdem malis affici. Nunquam deprehenduntur minus, quam in illa parte superiori glabra vaginae ante descriptae: Ergo occupare possunt omnia haec Loca, sed ibi in parte superiori quasi per maximam, quae ibi

est

est, transsudationem, materies venenata quasi repellitur; verum ad rugosa illa juga sistitur imprimis, et hinc hic longè plus oriuntur illi Canceri:

Omnium maximè verò solent haec mala occupare inferiora: scilicet ubi Sphincter vaginae est, ibi enim maximè arctata est vagina.

Dein omnium maximè fiunt supra Nymphas; nam hic maximè sistitur materia ob Lacunas, et totum malum hic aëri externo exponitur.

Hinc possunt circa Lacunas illas protuberantia emissaria urethrae se applicare ad interiora urethrae, et ad Locum Clitoridis.

Homo sanus cum malè affecta muliere coëuns saepe carebit omni Gonorrhoea; sed accipiet paucis horis post in exteriori parte penis stigma rubrum instar morsus pulicis, se elevans in ulcusculum squammatum, quod tandem fit talis Cancer.

Tale ulcus etiam hic est, sed haec non est Gonorrhaea mulieris:

Haec est ratio, cur pessimae infectae mulieres Gonorrhoeam non habent; cum interim parva haec ulcuscula saepe sint pessima:

Quae porrò de Diagnosi, Prognosi, et Curatione horum cancrorum dicenda sint, vidimus in praecedentibus.

Prima Gonorrhoeae Species in Foeminis.

Notum fuit ex Gonorrhoeae virilis historia, humorem qui naturaliter in urethram viri destillat, esse adeo exiguum, ut nunquam adpareat, quia continuò detergetur: sed primo veneno venereo adficienti haec vasa oritur nova species catharri, et statim prodit ingenti copia Liquor. Simulac stillicidium primum natum est, continuò augetur.

Nunc hoc idem hic adplicari debet; nam sana mulier naturaliter habet has partes humidas, sed non defluentes, nisi dum menstrua fluunt; sed simulac morbus se ostendit, et omnia orificia adficiuntur, funduntur humores semper majori copia.

Simulac hoc factum est, intelligitis, quod debeat citatior fluxus fieri; hoc enim in legibus corporis humani semper verum esse compertum est, qua parte dilatatiora vasa sunt, eo se deponet tota natura: Hinc non mirum, semel nata hac diathesi in illis partibus, hoc stillicidium augeri magis magisque.

Rursus, quoties viro citatior ille fluxus incipit, nunquam est flavis aut viridis, sed albus: verum ubi per aliquot dies duravit morbus, omni momento materia illa solet degenerascere, et alium colorem induit: Eodem modo res in Foeminis se habet.

Quaeritur nunc, quomodo cognoscatur hoc malum, id est, quod haec materia defluens sit de natura Venerea? Hic primum monere debeo, foeminas valde laxas, pallidas, frigidas, subunguiculas, otiosas, et pessimo more hodierno, potibus aquosis calidis multum addictas, accipere diathesin hac in parte, qualis est in mucosis pueris,

quibus

De Lue Venerea.

quibus cohaerentia stillicidia continuò de naribus prodeunt, quod vitium his pueris frequens, deinde adolescentibus evanescit.

Eadem ratione tot mulieribus hae partes inferiores vaginae emittunt similem materiam, non rodentem, sed tamen molestam: imò hoc stillicidium saepe sic augetur, ut non sit corpus, quin fere defluat et ferè steriles reddit foeminas, nec ullo modo in Venerem excitandas.

Observavi hoc malum in illustri persona, eo usque invaluisse, ut incredibilem linteorum copiam continuò commacularet. Huc cum vocarer, debebam prudentissime agere, et omnia ritè examinare: inveni hanc materiem exsiccatam fieri flavam et admodum olidam: Fateor, primus erat casus, quem tunc videbam, et anceps haerebam, nec aliquid pronunciare audebam in illustri persona, cui castissimus erat maritus, qui sine ulla noxa cum sua uxore consuescebat.

Vidi hic, cum eam curassem sine ullo dato remedio antivenereo, posse oriri in muliere fluxum humorum, qui peritissimum medicum falleret: hincque didici, quam prudentes debeamus in diagnosi hujus mali esse.

Haec foemina sic curata postea Uterum gessit, et infantes peperit sanissimos, nec in viro ullum malum observatum fuit.

Quod nunc dicant Auctores, fluxum Gonorrhoeae durare semper, et hunc Rheumatismum desinere tempore menstruorum verum non est; nam licet sanguis exoneretur, tamen non constringuntur illa vascula mucum facientia: hinc Rheumatismus ille non venereus manet.

Hujus ergo mali haec idea est.

1º Si congressus praemissus fuerit, et dein à novitate insueti mali post congressum, subito hoc se ostenderit, suspicio Gonorrhoea est.
2º Si nunc celerrime augetur quotidie, jam magis confirmat, et certus sum; nam in praecedenti malo sensim per menses lentè augebatur, sed à tabo venereo correpto subitò decurrit.
3º À degeneratione in pejus. Nunquam, quod scio, deprehenditur, ut fluxus catharrosus tam subito cum malignitate degenerascat. Sed quando post congressum nato malo incipit materia intra paucos dies corrumpi, non dubito amplius, esse à Tabo Venereo.

Forte miramini, quod hic non loquar de Stranguria, de ardore urinae &ct. Sed haec Symptomata in hac specie Gonorrhaeae non adsunt, quia malum non haeret in locis uriniferis.

Si rogatis aliud signum pathognomicum, nullum dare possum; nam revera nullum est. Si rogatis, an in colore materiae? fateor colorem posse esse pejorem, quam in alia foemina; an à copia? neutiquam.

Moniti nunc hoc esse debemus, quia recens quidam et illustris auctor scribit, certissimum signum Gonorrhoeae in muliere esse ardorem urinae, nam, ut patuit, potest esse Gonorrhoea sine illo symptomate.

Quid mali praevidetur hinc? Si ullus locus ulceribus et fistulis generandis aptus sit, hic est: Si quis locus cristis, condylomatis,

verrucis

De Lue Venerea.

verrucis producendis valet, est hic. Sed quid sunt illae Verrucae? erosa membrana epithelion, et papillae nervosae adsurgentes in has Verrucas, quod malum hic in foeminis fit circa juga papillosa Vaginae.

Verum omnes Lacunae ex ampullulis rotundulis in emissarium desinentes ubique existentes, si materiam inspissatam recondunt, gignunt condylomata.

Si durat nimis diu metuenda est infectio harum partium versus urethram, ut et totius corporis, quamvis hoc in foeminis non ita facile fiat, quam quidem in viris.

Quod ad curationem hujus mali pertinet, impetranda est primo omnium plena abstinentia inter maritum et uxorem (nisi quadam audacia medicus hic agat, per annos luctabitur) nam ni hoc fiat redintegratur causa, et vir ab uxore semper aliquid participat.

Cum hoc impetrato interior cura facienda est, ut in viris praescripsimus, per Hydragoga, additis, si opus est, mercurialibus, donec vi purgantium soluta et expulsa sit materia.

Pro exterioribus quid hic faciendum? ad ipsum locum veniri potest, vel siphone, vel per fomenta apposita, vel per spongias imbibitas materia quae detergere potest hoc malum: hoc fit v.g.

℞ Absynthii Romani: unc: j.
Summitatum Ruthae.
——————— Scordii aa unc: ß.
Coq. in s. q: aquae, coctis et colatis, unc. xij
adde, Mellis Rosarum: unc. ij
M.

Et fiat repurgatio partis hoc fomento vel collutorio.

Nil plus juvat, quam exercitatio corporis: nam si otiosae sunt illae foeminae, vix curare potestis: si se exerceant omni modo, facilius, quod est contrarium, quam in viris obtinet.

Dum haec remedia adhibentur, primis diebus solet longe largior fluxus fieri; hocque est optimum signum: si tunc minuitur secundum copiam, minus acria sunt applicanda; et si post minus, applicamus tantum solam aquam cum melle et pauco sale; et hoc modo fere omnes curantur.

Secunda Gonorrhoeae Species in Foeminis.

Intellexistis, quod ad finem conniventium alarum vaginae superius ab osse pubis promineat semper satis notabile tuber, in cujus medio centro haeret urethrae apertura:

Hoc corpusculum cum urethrae cavo non communicat, sed constructionem suam subglandulosam habet ad finem urethrae, et emissaria sua nunquam habet in urethram, sed in superficiem hujus tuberis.

Si nunc Labes Venerea forte hunc Locum ingreditur, et adficiat, tunc oritur talis diathesis in hoc tubere, qualis descripta est in Lacunis Vaginae.

Tunc statim sentitur, tumet, prominet, dolet, nec ita diu post solet dimittere eandem materiam, sed magis flavescentem et viridescentem. Si mulier premit hanc partem, semper ex materiam

materiam hanc exprimit.
Urethra in foeminis superne delata, ubi ad dimidiam sui longitudinem emersit de collo vesicae, descendit fere perpendiculariter; tum flectit se iterum versus anteriora ad hoc tuber, ut se aperiat inter Nymphas.
Si accuratissimi Santorini descriptionem potius, quam vix intelligendam tabulam consulitis, videbitis esse musculum, qui ambit hoc corpus urethrae, quique utrimque oritur ab ossis Isclii tubere, qui ergo, dum agit, collum Urethrae deorsum ducit, et extra corpus: Hic musculus in hoc malo solet tentigine laborare, unde tum haec pars continuo extrorsum eminet, quod phaenomenon non potui intelligere, antequam hoc mihi adparuit ex intuitu urethrae.
Simulac nunc hic loci hoc malum majus majusque fit, potest oriri hic tumor magnus ulcerosus, ut aliquando ad magnitudinem ovi columbini promineat, et Chirurgus facile decipi possit.
Haec ergo Gonorrhoea in faeminis perfecte est eadem, ac illa, quae in viris fit in glandulis Cowperianis.
Diagnosis hujus mali est clarissima, nam praecedentia primae ponantur, et iis tantum addatur, quod materia hic semper fluat extra corpus, quod tumor praeternaturalis fit in illa parte, et incommodissima tentigo, et (quod est pathognomicum) vix solent dolere urina emissa, sed vehementissime, dum illam emittunt ad ultimas guttas.
Credo, vos saepe observasse, quando vidistis equam reddidisse lotium, quomodo ultimo momento, dum ultimas guttas exprimit, promineat tantum tuber extra vaginam, per spasmos tunc excitatos, quibus peractis post ultimam guttam expressam quiescit animal; unde patet, tunc temporis urinam cum urethra continente, antrorsum trahi ab illo musculo.
Sic etiam in mulieribus contingit, et hoc tempore summus dolor oritur: Si medicus hoc malum negligit proserpet brevi, et horrenda mala producet.
Pessimum symptoma in his est, quod illae mulieres tali Gonorrhoea laborantes, quando debent urinam reddere, deprehendunt saepe urethram adeo compressam à tubere hoc tumefacto, ut lotium reddere nequeant, quod fit quia orificium urethrae continetur in centro illius tuberis, sed quando nunc simul accedit actio musculi Santoriniani, dolor maxime augetur, et eo magis occluditur via: Et in praxi videbitis, dysuriam hic maxime oriundam non à dolore, sed à compressione, et hinc maxime distinguitur à Gonorrhoea tertii generis.
Malum hoc videtur esse genus illud Gonorrhoeae, quod Vercellonus in tractatu de Morbo Venereo notat saepe occurrere in Italia, quod scilicet ab orificio urethrae pessima saepe ulcera disseminentur usque ad eminentiam pubis superioris, ubi mollis pinguedo assurgit; nam raro hoc fit ex vagina, verum fere semper hic.
Dixi vobis rem valde observandam in his quoad signa; scilicet non esse hic ardorem urinae, verum semper hic esse tensionem molestissimam, de qua rigiditate sub titulo chordaceae stricturae conqueruntur. Nimirum musculus verus magnusque urethrae

De Lue Venerea.

extra corpus educitur, cum supponatur supra urethram, cumque inficiatur ab ulcere, facillime in tentiginem perpetuam trahitur, tunque mulieres sentiunt idem, ac si ultimam guttam urinae exprimerent: Conqueruntur mulieres, aliquam procidentiam fieri, sed revera est nihil aliud, quam quod haec urethra affecta promineat.

Ex his Diagnosis intelligitur, et scitur, quid faciendum sit: Accedit, quod tactus, visus, pressio partis, et materia exiens firmissimam hic Diagnosin faciant.

Prognosis est, metuendum hic esse imprimis, ne fungosa haec fabrica communicans cum sub partibus afficiatur, et per membranam cellulosam disseminetur malum versus montem Veneris, quod si factum fuerit, illa pinguetudo, quae propria sedes est mali Venerei, semel affecta difficillime sanabitur, ubi ulcerosa et sinuosa facta sit.

Alterum malum inde metuendum est, ne eroso hoc loco a nimis acri et diuturna Labe Venerea etiam erodatur urethra, malo vergente versus latera ad sinuosas latebras, et tum oritur illud malum, quod Fercellonus observat, quo urina exit ad loca superiora et exteriora ipsius vulvae, et hoc malum semper hic sedem habet.

Quaeritur quomodo hoc malum debeat curari? In historia sanationis Gonorrhoeae virilis monui multoties, ut ab omni acri abstineatur: Illae cellulosae plagae, in quas effunditur sanguis, faciunt, si erodantur, has partes semper sic tendi, ac si essent in orgasmo Venereo, sed cum dolore.

Verum praeterea hoc loco magis spectandum, quod si hoc corpus erosione inflammatur angustet urethram ita, ut urina intercipiatur, quemadmodum in ultima Gonorrhoea virili diximus.

Cavemus ergo hic loci ab omnibus Mercurialibus, et non utimur, nisi emollientissimis et laxantibus remediis: hinc applicatio Lactis cum Malva cocti, seri Lactis cocti cum contusis seminibus papaveris albi, Lini avenae, facit ut minor sit strictura emolliendo et laxando, et interim naturam levissime extrorsum stimulando, ut qua via accessit, iterum exeat venenum susceptum.

Si videmus alia illa mala accedere, tunc, quae in viris commendavi dilutissima illa vitriolata applicari possunt: ut v.g. Lapis Aluminiae sic dilutus, ut oculus ferre possit: hic speciem levissimam escharulae inducit, et tamen inflammationem non facit.

Si sit interceptio urinae, ilico sanguis mittendus, nam fluxiones materiae terminatae ad loca inflammata, si cito ruant, saepe faciunt horrendas inflammationes, quae citissime adeo augentur, ut omnia comprimant: Tum statim anodyna sunt admovenda, id est Cataplasmata nunquam satis laudanda ex foliis Papaveris hortensis recentis coctis cum Lacte addito pauxillo Sacchari Saturni, vel Aceti Lithargyrii: Hyoscyami

folia

de Lue Venerea.

Folia hac ratione parata idem faciunt, imprimis si folia Malvae, Verbasci, et semen Lini admisceantur: His autem remediis applicatis post Venae Sectionem institutam, plerumque facit subsidere malum.
Simulac nunc hisce peractis malum subsedit, debemus conari tunc locum cavernosum, quantum possibile est, depurare; hoc autem fit, diutissime applicando emollientia, et ubi virulentia paululum abest, detergentia lenia addenda sunt, ut Saxo Venetus &c.
Interim dum haec omnia fiunt, simul adhibenda est cura Interior in viris indicata. Sed observandum, foeminas, imprimis opulentiores, delicatiores, laxo et debili corpore vix ferre purgantia quin cadant in animi deliquium: Hinc respectu habito ad sexum et ad Idiosincrasiam, debemus eligere purgantia minus moventia, ut Manna, Cassia, Tamarindi, Rheum &c. Summa Hydragoga hic non requiruntur, quia sanguis est magis solutus et vasa sunt laxiora in foeminis, quam in viris.

Tertia Gonorrhoeae Species In Foeminis.

Hanc fere nemo intellexit in Aitiologia, nisi qui Graafiana opera, et Ruyschii ac Morgagni observationes novit:
Urethra in foemina vulgaris proceritatis fere duos pollices longa et valde crassa est. Membrana ejus interna valde tenuis est, haec circumambitur fungoso corpore perfecte fere, ut est bulbus urethrae in viro, nisi quod hic non sit substantia cellulosa cavernosa, in quam sanguis effunditur, sed tantum pinguetudinosa. (Notum scilicet est ex historia data urethrae in viro, quod habeat primo tenuem membranam internam; supra hanc est substantia fungosa; haec constat duabus substantiis, una quae est aggregatum folliculorum, ex quibus destillant humores inungentes; sed secundo altera substantia constat ex cellulis, in quas effunditur sanguis. Haec ultima substantia in foeminis non adest.)
Haec ergo pars facit crassitudinem urethrae, quae in foeminis adparet: haec pars emissaria dat, quae transeunt usque in interiorem cavitatem urethrae, et ibi eundem liquorem effundunt, ac in urethra virili fit, sic ut, si urethra dissecta comprimatur, materia subalba exeat.
Hinc ergo si malum venereum halitu suo subtilissimo penetrare potuerit in viris a Glande ad collum vesicae usque, quid fiet in foemina, cujus urethra directe sicta, eadem tunica ambitur! Si nunc huc intraverit, en habes veram Gonorrhoeam muliebrem, uti est in viris: Tum his mulieribus exoritur hic tumor, et proinde stricturas, de qua viri adeo conqueruntur: Hinc primo dolorem non habent, ardorem non sentiunt, sed ubi materia copia satis magna exit, erodit superficiem internam urethrae, et tunc ardor summus oritur.

Ergo

De Lue Venerea.

Ergo non est verum, quod Gonorrhoea virulenta muliebris tantum sit, quando ardor urinae simul adest; nam certe in prima et secunda specie abest; sed hic fit, quia urethra à tumore duro angustata est:

Hoc malum assiduo crescens faciet ulcera intra has cryptas, inter se communicantes; hinc poterit totus ille locus exulcerari, et urina, si non adeo sursum, utique intra sinum muliebrem profluet.

Nihil nunc in Gonorrhoea virili mali descriptum est, quin etiam hic obtinere possit: Gonorrhoea virilis nunquam pervenit usque ad tunicam spongiosam, in quam effunditur sanguis; vel si huc intraverit, totum corpus perditum est: ut haec ita esse appareant, vide Morgagni Advers: IV. pag: 44. et conferte cum ardore urinae, et Stranguria in foeminis.

Prognosis est illa ulterior erosio, interceptio summa urinae, et tandem foeda emissio urinae sine sensu.

Quomodo hoc malum curari debet? Rx: ut in virib, partem quam maxime emolliendo, laxando, dolores utpote excitantes inflammationes sopiendo, perfecte ut in virib.

Si multum virulentae materiae adpareat, tum emulsum ex semine Lini cum aqua Plantaginis Rosarum, vel sero lactis, quanta fieri potest prudentia, immittitur in urethram foeminae; quod dum fit, dat curtiorem viam, quam si medicamenta interna tantum sumerentur.

Praecipuum curationis punctum in eo est, ut urina sit tam parum salsa, quam potest fieri: Homo qui parum bibit, urinam habet salsissimam: homo, qui multum bibit, potest habere urinam penitus insulsam: hinc affatim serum Lactis, decoctum Malvae, potius Thee debet dari.

Reliqua cura interna et externa est, ut in virib, adeoque hic nihil addendum habemus:

Jam sequitur omnium pessima, sive

Quarta Gonorrhoeae Species In Foeminis.

Casparus Bartholinus in tractatu de Ovariis Mulierum notavit, quod labiis sinus muliebris utrinque ad latera circiter ad ½ pollicis distantiam ad partem infimam fere, ubi foramen vaginae, quod Gallis La Fourchette dicitur, ibi loci sub Epidermide, sub cute, sub membrana pinguedinosa, sub musculo Sphinctere vaginae posito sub membrana pinguedinosa ponitur Glandula, eaque satis magna, pisis saepe major, semper praedens.

Haec glandula, utrinque una, ad infimam partem labiorum posita habet emissarium majus, quam in ullo pene virili occurrit: hoc emissarium supra Nympharum superficiem interiorem sub ore vaginae evacuat humorem notabilem, satis magna copia:

Bartholinus considerans magnitudinem, fabricam, emissarium vocavit Prostatas muliebres alio sensu, quam ego dixi. Hoc fieri potest, nam hae glandulae componuntur ex minoribus, adeoque utcunque Prostatas referunt, unde et nos per Prostatas Bartholiniana, illas intelligemus.

Morgagni

De Lue Venerea.

Morgagni in Prima editione Advers: I. deprehendit has saepe tam magnas, ut potuerit separatim cum emissariis exhibere: vide Advers: I. tab. 1. H. In tabula ubi uterum delineat.

Hae glandulae ponuntur sub Sphinctere vaginae, qui totam vaginam ambit, ergo strictura hujus musculi necessario premuntur; unde quo tempore musculus Sphincter maxime agit, eodem tempore hae glandulae compressae humorem suum effundunt, perfecte, ut glandulae Cowperianae in viris.

Emissaria harum glandularum haerent sub ore vaginae: Quando natura corpus foemininum formabat, fecit, ut non tantum posset concipere, sed etiam parere; unde tanta rima ibi est in cute, quae impletur partibus illis externis, et simulac vagina fit, arctatur: Haec arctatio in virginibus est Hymen.

Quando nunc à viro labes projecta descendit huc usque, in hoc emissarium harum glandularum facile intrat; quod si factum est, tum oritur Gonorrhoea cum tumoribus Apostematicis in Perinaeo.

Mala, quae ex hac Gonorrhoea oriuntur, cognita fuerunt Auctoribus; cui vero causae ortum debuerint, intellectum non fuit ex neglecta partium affectarum cognitione, quae sunt illae Glandulae Bartholinianae descriptae.

Confirmavit hoc figura et scriptis Morgagni: Verum autem Locum unicus tantum auctor Santorinus in ultimis iconibus prodidit.

Glandulae hae positae sunt sub musculis libidinosis, eo enim et hunc musculum spectare consideratio Loci Situs hujus musculi docet: hinc credibile est, strictura hujus musculi (ut Bartholinus jam dixit) in summo aestu venereo has glandulas suum liquidum effundere:

Has Glandulas voco Prostatas Bartholinianas ad distinctionem earum, quae in superiori parte sinus muliebris circa urethram sunt, quod in posterum observandum erit.

Emissaria harum glandularum omnium, quae in vagina muliebri reperiuntur, maxime sic locantur, ut suum humorem effundant exquisite ad latera vaginae.

Os uteri semper clausum est naturaliter; vagina laxissima est circa os uteri; descendens vagina laxa manens, tamen naturaliter semper collapsa nihil aëris in se habet; ubi desinit, corrugatur et crassior fit, et ibi dicendum est os vaginae inferius, et ubi hoc terminatur, ibi rima magna est aëri patens: ad Latera infimae fimbriae aërem externum spectantis ponuntur hae glandulae, et harum emissaria huc suum liquidum evomunt.

His intellectis facile potest hicce morbus describi.

Si labes venerea, qualis descripta est in tota historia Gonorrhoeae affunditur, vel defluit, vel attactu applicatur ad hunc locum sic positum ori vaginae, ubi rugae plurimae, et ubi aër externus semper accedere potest, tum haec emissaria hic omnium maxima facillime post explosionem hujus liquidi in summo aestu venereo, in vacuas has suas cellulas Morgagnianas recipiunt hoc miasma subtilissimum.

Est de natura hujus miasmatis, ut primo praeter pruritum faciat nihil, symptoma molestissimum, et quidem usque adeo, ut dicant, se

velle

De Lue Venerea.

velle potius omnia, quam hoc ferre. Secundò, semper fit tumor partis. tertiò denique levis inflammatio sine magno dolore, et quartò tandem augmentum humoris, qui naturaliter insensibili copiâ fiebat antea, et fluebat.

Hinc faeminis his oritur tumor in inguinibus ad infima Labiorum ad Latera (non in Glandulis inguinalibus) vel alterutro, vel in utroque Latere. Hi vulgò putantur esse bubones Venerei: sed sunt horum Prostatarum affectiones.

Si tunc acciderit, ut materia hic degenerascat, incendatur, augeatur, tum tumores continuò augentur, et videntur veri bubones oriri longè inferius, quam aliter solent.

Haerent nunc hae glandulae sub musculo Libidinoso, pinguetudine, cute et epidermide, hinc non apparet ille tumor, nisi per dicta integumenta, et postquam fabricam musculosam superavit: Hinc oritur necessariò dolor, increscit tumor, fiunt ulcera occulta, et ipsae harum glandularum cellulae corrumpuntur.

Si tum premitur ille tumor, fluit pus in vaginam per illa Emissaria.

Quando nunc hoc aliquantulum duravit, et incepit rumpere propria involucra, tum diffundit se in panniculum adiposum, qui musculo vaginali circumponitur, quique vaginam et intestinum rectum inter se colligat: et ubi semel huc se diffudit, (novistis, ut vagina et intestinum rectum sibi invicem necterentur, quod natura nusquam membranam cellulosam fecerit magis lubricam, et succo oleoso tenui repletam, quam hic) difficillimè extrorsum exeunt haec apostemata, suntque difficillime curantur quia musculus vaginalis obstat, et versus Loca maximè lubrica materiam premit.

Tunc oriuntur horrenda fistulosa, sinuosa ulcera vergentia potius versus intestinum rectum, quam versus vaginam, et tunc oritur morbus, quem adeo miratus fuit Vercellonius, scilicet tum eroditur absolutè intestinum rectum ulcere foedissimo, et tunc foeces saepe huc destillant. Vide Vercellonium pag: 28.

In prostibulis, et vulgaribus meretricibus hoc malum saepe contingit, unde in plateis toties audimus ganeones fortè ab iis infectos, ipsisque jam omnes contumelias facientes et vovente, dicere, quod sint faeculentae meretrices etc.

Quod autem putant, de vagina erosa hoc fieri, non verum est, sed glandulae dictae hoc malum faciunt: Hoc autem moneo, ut à primo initio materiam extrorsum ducatis, ne haec mala oriantur.

Quomodo hoc malum cognoscitur? Si signa fuerint, quae post congressum suspectum docent, praeter alia mala, foeminam conqueri de molesto et assiduo stillicidio de corpore exeunte magna copia non diu persistente: 2°. Hic materia Gonorrhaica hic facilè apparet, quia facilè potest linteo excipi, et medico exhiberi. 3°. Si ad infima Loca lateralia oriantur dolor, calor tumores ad pressionem magis dolentes, molestissimi si sedent

minus

minus autem si stant; et 4º si rogat medicus, ut detersis partibus velint premere haec loca, si tum extra vaginam profluit sic liquor, certum est hoc malum adesse.

Prognosis est, ut mulier illa cadat in summum periculum, quia malum hoc difficillimum curatu est: nam in omni ferè inflammatione (certè ex centum vix una excepta) sedes Phlegmones est membrana cellulosa, in qua ponuntur omnes glandulae in toto corpore, et quae omnes musculos investit. Sed hic ponuntur sub musculo; hinc materia hic stabulabit et disseminabitur, nisi citò extrorsum ducatur.

Quomodo curatio est instituenda? Curatio omnis, quae ferè solet instituti ad omnes Gonorrhoeae species, hic parum prodest, quia in laxis et cellulosis locis nunquam mundatio fit, nisi tota illa pars à sana fuerit suppuratione separata, quod natura conatur facere per majorem motum humorum et arteriarum.

1º Ergo est corrigendum malum Venereum, quantum fieri potest. Sed hoc hic non fit salivatione, nec cura catharctica: hinc imprimis debemus locum extrinsecus labefactare summovere et saepè numero materia exprimenda pressu, ne partes laedantur.

2º Extrinsecus omnium emollientissima sunt applicanda, ut ulcus extrorsum trahatur. Inter haec omnia optima est farina secalis, Lini, avenae; bulbi ceparum sub cineribus tosti bulbi Liliorum alborum eodem modo assati, decoctio ex ficubus pinguibus ab arillis decuratis in magna copia Lactis cum praecedentibus, addita $\frac{1}{10}$ parte Gummi sagapeni in Vitello ovi soluti, et oleo Lini: hocque remedium noctes diesque debet applicari: si ab his applicatis oritur mollities, et rubor, bonum signum est: si vero non satis rubet, plus sagapeni addendum est, ut materia extrorsum alliciatur.

Tamdiu hac ratione in hac applicatione pergendum est, donec fere sponte rumperetur; tum vero 3tio ille tumor est pertundendus. Tum plumaceolis per aliquot dies hoc ulcus est apertum tenendum, ne nimis cito claudatur; tum tenerrima vascula ab arteriis agitata conantur abluere et depurare, quod adest, Venereum: sed forsan relinquerent aliquid, quod non penitus purum esset; verum si tunc plumaceola unguento quodam inuncta, comprimatur aliquamdiu ulcus, oritur species levissimae contusionis, qua ulcera tam profunda reddimus, quam volumus. Simulac apparet, hoc malum incipere remitti, debent minui plumaceolae, et ulcus minus premi.

Vidi hac ratione pessima haec mala curari; et contra quoque vidi, omnibus his applicatis, tamen ulcera sinuosa, horrenda facta fuisse.

Nunc absolvi historiam Gonorrhoeae tam virilis, quam quae in foeminis obtinet. hoc unum superest.

An

De Lue Venerea.

An ergo in foeminis nulla alia Gonorrhoea?

Debemus in medicina non fingere, sed invenire. Rogandum itaque, an unquam in Utero, Tubis Falloppianis, Ovariis &c. sedes Gonorrhoeae ab Anatomicis inventa fuerit in Cadaveribus? Spurcissima prostibula saepe se in Italia dissecuisse fatetur Santorinus, Capite ultimo Observationum; dum autem perscrutatus sum omnia, invenio unum Locum.

Novistis (quod recentioris inventi est, et verum) quod os uteri pendulum in cavum vaginae naturaliter contineat in se multas ampullulas mirabiles, rotundas, liquore repletas, quas Nabothus putavit esse Ovaria vera: haec Anatomici veteres nonnulli sic viderant, sed Clarissimus Ruyschius hanc sententiam destruxit. Morgagni Adv: I. descripsit et delineavit hanc partem: truncus ponitur ad transversum, a quo pediculi emittuntur, a quibus pullulae haerent, quae ultimo gestationis tempore omnium maxime tumidae, humore suo os uteri inungunt, et post partum evacuatae, brevi evanescunt: In virginibus valde parvae sunt; In muliere multipara inventum est post mortem a partu difficili siccum os uteri carens illis ampullulis earumque humoribus. Hae ampullulae in spurcissimis scortis nunquam habuerunt hujus morbi vestigia, nam mulieres infectissimae per totum corpus gestarunt Infantes ad novem menses. Si jam huc posset ingredi venenum venereum, non posset haec gestatio fieri.

Ergo Gonorrhoea uterina nunquam nata fuit. Non nego, toto corpore mulieris infecto posse etiam Lue Venerea infici hunc locum: sed haec non est quaestio: verum tantum quaeritur, an Gonorrhoea formet se hac in parte, reliquo corpore intacto, quod negamus.

Undenam vero hoc contingit? an quia os uteri tam arcte clausum est, ut nil admittat talis materiae? id vix credibile videtur, quoniam illud os tempore tentiginis Venereae utcunque se aperit, et aliter disponitur:

An ergo fit, quoniam, dum se forte sic aperit, vasa, quae singulis mensibus sanguinem evomunt, toto medio tempore evomunt et transsudant alios humores? illud videtur probabilissimum; nam tunc fiet magis ablutio, quam resorptio.

Hac occasione amplam materiam recensebo falso ad Gonorrhoeam, scilicet

Ulcera Venerea in Genitalibus Mulierum saepe oriunda.

Observatum est, in vagina muliebri oriri morbum singularem non confundendum cum Gonorrhoeae prima specie, vel cum fluxu tuberculi, vel interioris vaginae, neque extrinsecus inter Labia et os vaginae.

Nimirum oriuntur longa, aliquando tres, quatuor digitos inferius lata, superius arctissima, potius fissura facta vulnera, quam ulcera diceres, unde Ῥάγαδας potius, quam ΕΛΚΗ vocarunt auctores.

Haec sic facta decurrunt ad decussim rugarum: occupant saepe ab ore vaginae usque ad eum locum, ubi polita est vagina.

Haec

De Lue Venerea.

Haec ubi hic nata sunt, faciunt pessimum malorum genus, materiam malignam assiduò stillant, unde pro Gonorrhoea habita fuerunt.

Sed Gonorrhoea est tantum degeneratio humoris naturalis, cum hae sint erosae exulcerationes juxta longitudinem, continens ulcerosam materiem, et rarò dimittens materiam talem, qualis in Gonorrhoea prodit, sed saniosam, tenuem, acerrimam, et viros maximè plectentem.

Hinc facilè intelligitis, hoc malum foeminis molestissimum, et viris contagiosissimum esse, ac corpus non longè abesse, quin totum Lue Venerea laboret, hincque statim curationem adhibendam esse, quae difficillima est, quia malum latet supra os vaginae, unde non nisi injectiones hic prosunt: sumatur ergo aloë et myrrha cum melle in formam balsami cum vitello ovorum: haec cum aqua injiciantur et retineantur, donec detersio facta sit: hincque materia prodiens docet, malum melius se habere: Interim omnia internè debent fieri, quae antea in prima Gonorrhoeae specie recensita fuerunt.

Condylomata Venerea In Mulieribus

Omnes istae exiguae glandulae seu Criptae, quae succos conficiunt obliniendis partibus dicatos, si attritu nimio vel exulceratione redduntur in superficie externa callosae, solent minus perspirare quia arteriolae, quae solebant antea tam tenuem liquorem adferre, ut specie perspirantis humoris in haec cava deponeretur, evadunt nimis dilatatae, unde quidam tumor oritur paulatim auctus, ita, ut membrana fiat continuò crassior et callosa: Hoc in omni membrana, etiam tenuissima fit, ubi nimius attritus est, ut in manibus fabrorum ferrariorum et Rusticorum videmus: ibi enim Epidermis fit tam crassa, ut digitum majorem crassitie referat.

Haec est ratio horum malorum, quae non adeo contagiosa, quam molesta, non adeo saniosa, quam taediosa sunt, quia difficillime recedunt, quoniam emollire aut suppurare non potes: hincque hoc malum est fortè omnium in Lue Venerea post curata ossa, curatu difficillimum.

Unum ergo, quod hic fieri potest, est, ut summâ patientiâ emolliantur emollientissimis decoctis intrinsecus applicatis: Videmus evidentissimè, multis hominibus oriri callos ad plantas pedum, sub quibus vasa arteriosa impediuntur suos humores exhalare, unde hi homines aestate summas patiuntur molestias, non recedentes, nisi illi homines in balneo lactis cum malva se emolliant, et tollant callum.

Caeterum nil remedii ad haec novimus: Veteres Medici haec exscindebant, unde Juvenalis inquit:

Et exscinduntur Medico ridente Mariscae.

Ad haec mala etiam referuntur.

De Lue Venerea

Verrucae Venereae

In Foeminis.

Novistis, omnes istas rugas in vagina referre ferè palatum hominis, et detectum esse, eas esse nil, nisi nervorum eminentes papillas sentientes, et in vallibus intermediis haerere mucosas cryptas, ut in Viro ad Glandem penis.

Quando nunc à levissima exulceratione, tenerrima exterior membrana ablata est, statim vi arteriosa papillae nunc liberae protruduntur, et quoniam vasis sanguineis investiuntur hae papillae, hinc fit, ut verrucae laesae tantum sanguinis fundant.

Cum nunc hae arteriae has papillas continuò protrudunt, verrucae oriuntur, quae saepe tam horrendè assurgunt, ut oriatur Collare Hispanicum: unde locus quasi hirtus asperit.

Crebrum hoc malum est, et curationem requirit purgantem ex Turbith minerali, uti in viris ostendimus. Verum pro injectionibus solummodo emollientissima, ne diathesis cancrosa ab irritatione oriatur.

Cristae descriptae ab Auctoribus his in locis non sunt, nisi verrucae hae conglomeratae: Vidi hujusmodi cristas enatas circa has partes, quae abscissae ponderabant ultra uncias. Hoc contingit, quando nimis protuberant hae partes, et quando saepe dilatatae nimis atteruntur, et fungos emittunt, quod imprimis obtinet ad os vaginae.

Molestissimum hoc malum semel enatum, olim et adhuc hodie crudelissimè curatur, scilicet aut candenti ferro exuritur, aut ferro scindenti excinditur, nec alia methodus curandi revera est; nam per emollientia magis assurgunt, si applicas caustica, quae non uno momento exurunt, in cancrum degenerant, unde terribilia phoenomena oriuntur.

Haec sunt praecipua, quae dicere potui de Symptomatibus novae Luis Venereae, quae scilicet in Lue Venerea veteri non aderant.

Nunc venimus ad Luem Veneream novam, propriè ita dictam.

Quando

De Lue Venerea.

Prima Species Luis Venereae.

Quando idem venenum contagiosum in praecedentibus huc usque descriptum jam communicavit se humoribus vitalibus, tum illa Cacochymia hic nata dicitur Morbus Venereus, vel Lues Venerea. Haec definitio non tumultuario, sed omnibus, quae huc pertinent, rite expensis, nata est.

Dico itaque, Luem Veneream vocari proprie, quando venenum contagiosum non haereat in uno Loco, sed dispersum per humores Vitales.

Si vobis Lubet repetere memoria, scitis, a primo nato morbo omnes medicos observasse, quod illud Venenum corporeum hunc morbum faciens sit tam subtile, ut instar aurae fugientis quasi pro nullo habeatur, nisi tanta mala produceret.

Venenum hoc vocamus contagiosum, quia proxime huc refertur, et quia omnia venena non sunt contagiosa, sed hoc revera est; nam ubi in corpore quodam solitario haeret, primo se dispergit per omnia ejus Loca: et secundo, quod in uno corpore genitum alteri corpori per attactum simile malum generat. Si scabiosus homo vel nummum calidis digitis tractaverit, et tradiderit homini sanissimo etiam calido, ille certissime quoque scabiosus evadet: et si illi oritur una pustula inter digitos, et scalpserit per imprudentiam, dispergetur per totum ejus corpus, et talia venena vocamus contagiosa.

Hoc venenum contagiosum ab exteriori superficie, si applicatur parti solidae, nunquam nocet: sed si Laxa per calorem cutis spiracula tangat, actum est.

Dico, si hoc venenum venerit in humores vitales: id est, omnes humores, qui a corde per arterias distribuuntur, et per venas versus cor rediguntur: (nam adeps etc. non sunt humores vitales.)

Quando nunc hoc miasma per poros illos bibulos cum humoribus venosis huc refertur, dicitur Lues Venerea, quae est id ipsum, quod in viris et foeminis Gonorrhoeam facit, sed non haerens in uno Loco fixo, verum quod jam abreptum vadit per totum corpus.

Hinc ergo, quando hoc venenum in Lue nunc Venerea dispersum, sic haeret inter humores arteriosos et venosos, tum de hoc fomite possunt oriri talia mala, qualia ab applicatione externa oriri poterant in praecedentibus.

Si jam ille fomes sic haerens in quandam partem deponitur, in tali parte potest producere eandem Gonorrhoeam, qualem produxisset, si extrinsecus partibus applicatum fuisset.

Hinc quamdiu hoc malum sic haeret, est ingens discrimen inter ea, quae hactenus explicata sunt in praecedentibus, et inter ea, quae nunc erunt dicenda: nam in praecedentibus exteriora

prius

prius afficiebantur: hic vero interiora, et deinde extrorsum prorumpens se ostendit; et hinc oriunda mala sunt penitus alius naturae.

Hinc rarissimè, si corpus humanum fuerit infectum undequaque hoc contagio, potest hoc malum cognosci, etiam à peritissimo Medico, quamdiu manet aequabiliter distributum. Simulac verò incepit se deponere in quendam locum, tum statim apparebit. Credo, nondum esse unum signum, unde apparere potest, an homo pessimè adfectus sit Lue Venerea. Inquisivi multum, sed nullum revera potui invenire. Dicunt homines illos esse Melancholicos; sed contra saepe vidi esse joculares et pruriginosos: Dicunt eos habere dolores nocturnos; sed hoc verum non est, nisi materia se jam disposuerit, ut erumpat ad Periostia. Dicunt aegros sentire, totum corpus gravedine laborare; sed tum jam incipit inflammationem facere.

Invisibilia contagii semina per meatus insensibiles admissa in venas Cacochymiam excitant, scilicet, degenerationem humorum. Dicetis dum Cacochymiam dicis, tum deberet habere sua signa; sed hoc verum non est in primo principio; nam non apparent.

Haec Cacochymia Venerea quando per metastasin et crisin deponitur in aliquam partem, tum oriuntur Symptomata sensibilia, prius non apparentia aut sensibilia vel aegro vel Medico, vel utrisque; et hoc voco secundum stadium Luis Venereae, quae in suo ortu perfectè se habet ut morbi Acuti, v. G. variolae. Sic hominibus insinuatur per inoculationem tabes variolarum: homines illi primo die nihil sentiunt, sed quando per febrim deinde obortam movetur et secernitur materia, fiunt variolae. Eodem modo in Lue Venerea, homines primò nihil sentiunt, dum malum per totum corpus haeret dispersum: paulò post fit quaedam molestia, et tandem Symptomata adparent.

Hinc ergo fieri potest, ut quis causam materialem Luis Venereae concertae pessimae habeat in corpore, et ut expertissimus Medicus nullam ejus notam inveniat: et hinc saepe putavi, hoc malum eo tempore nihil omninò nocere illi homini: Hoc videtur Paradoxon; sed homines tractavi, quibus sanitatis optimae signa erant, dum interim debacchati, habebant suspicionem tactos se esse à tot erroribus commissis: his omni ex parte examinatis, dum sollicita indagine excuterentur omnia, nullum signum adparebat in toto corpore, nisi metus paululum tristis ab illa suspicione.

Hinc cogitavi saepe, an non talis homo interim posset frui summa sanitate? et hoc per duo mihi fere adparuit. 1°. Memini me intelligere à viro amicissimo et Medico solertissimo, quod ubi summi pestilentiales morbi dominarentur, corpora hominum in quibus erat Lues Venerea, summum prophylacticum fuisse Luem, qua laborabant: sed alterum, quod longè magis hanc rem conficit, hoc est: novi viros illibatissimae sanitatis, sed imprudentiae

repetitae

repetitae subjectos iniisse cum purissimis conjugibus, et primo per- ceptum fuisse mali nihil, sed postea sensim in hisce obortum fuisse malum venereum, viro suspectante innoxiam uxorem, uxore suspecto viro foedissime laborante; cum tamen uterque fuisset sanus, praeterquam quod vir Lue venerea occulta laboraverat jam ante quam conjugium inibat.

Haec non loquimur aliis, ne homines in aeternum metum conjiciamus. Medicos monemus, ut, si ex proprio corpore oriatur malum, statim putent ex praegressa temeritate esse; et hinc, quando Medicus cognoverit quod olim causas frequentaverit aeger, unde haec mala poterant oriri, tum non tantum danda esse topica remedia, sed ad id, quod in humoribus haeret.

Hic est primus morbus venereus verus, seu prima idea Luis venereae, ubi materialis causa inspirata corpori nullo indicio sensibili disseminavit se circulationis lege per humores, nondum determinata ad singularem quandam corporis partem.

Secunda species Luis Venereae.

Fomes hic internus descriptus sic natus in corpore, simulac inficit partem sensibus expositam, tum ibi gignit semper tale malum, quale generatum fuisset ab externa applicatione veneni in omnibus partibus.

Intelleximus antea in descriptione morborum genitalium, miasma venereum esse tam subtile, ut saepe tota virga masculina immuni manente, oriantur aliquando Bubones venerei in inguine. Hoc malum ab externa adplicatione oritur, dum venenum interim in loco, ubi adplicatum fuit, tum saepe nullum sui vestigium aut signum relinquit.

Si hoc contagium paulo durius haeserit circa loca externa sensibus conspicua, tum ibi statim adparent phaenomena descripta. Hoc tantum moneo, ut perspiciatis, quod hoc miasma sit tantae subtilitatis, ut directe in corpus penetrare possit parte externa, cui adplicatur immuni relicta: et quod idem venenum haerens in parte externa faciat mala externe adparentia.

Hinc omnis locus ibi fit vera Gonorrhoea totius corporis, nam eadem materia prosilit ex istis ulceribus, ad quae vi vitae illam materiam deponit.

Locus ille, qui oculis nostris conspicuus est, et ad quem fomes prima puncula labis dimittit, est vel cute vel cuticula tectus, vel non.

Si est cuticula et cute tectus, nec in corpore adparente sano non adparent symptomata venerea, et tum vita crisi quadam hinc deponit malum, tum ibi semper adparebit pustula, haec primo erit exigua, rubra, sed colorem non intense rubrum habens, sed dilute, et quasi subflavescentem, ut in variolis, morbillis etc.

Haec

De Lue Venerea.

Haec pustula sensim Latior fit, et diffundit se ut plurimum in maculas, quae apicem digiti fere aequare solent, et manifestant se per totum corpus, imprimis ubi maximus calor et minima pinguedo adest, hinc fere ad frontem et pectus, si haec sine malo adparent in tali corpore, haec se manifestant.

Quando jam in talibus corporibus sic manifestantur sine ulla causa, est primum indicium: sed hoc oriri potest in scorbuto, vel vibicibus, imo homo juvenis aestate se nimium movens, in nudato pectore similes inveniet maculas dispersas: Hinc nemo se inani metu torquere debet.

Maculae hae ex his pustulis oriundae, solent fieri crustulosae Leprosae, id est, elatae paululum in squammas decidentes, et nunquam depurantes Locum: sunt plerumque porriginosae, quasi furfuraceae, et tunc raro fiunt cito ulcerosae.

Quando tandem ulcera fiunt, statim fundunt materiem albam, pinguem, et siccatu flavescentem. Ad primam ostentationem talis ulceris vix memini me deceptum, ultimidamnis; nam adparet illud pus, ac si esset Liquefactum sebum, coloris albi, densum, et ad exsiccationem mire flavescens. Hinc perfecte idem est cum materia Gonorrhoeae Longe autem alius naturae est, quam pus in apostematibus ab inflammatione oriundis.

Simulac talia ulcera nata sunt, semper sunt phagaedenica, id est, comedendo rodentia. Quando Phlegmone, Bubo pestilentialis etc adficit Locum, ille Locus suppuratus malum expellit, vel in cancrum proserpit, et tum phagaedenica dicuntur.

Talia, fateor, etiam sunt in scorbuto, morbo cum Lue venerea mire conspiranti.

Haec ulcera haerent semper in panniculo adiposo: Corpora vidi depasta quasi a bestia ferociente, sed nunquam vidi malum haesisse ad musculos. Hoc signum hic est pathognomicum.
Hinc haec ulcera sic fixa sub cute semper proserpunt, quae adhuc per mensem integra potest aliquando servari.
Quaenam est facies ulceris Venerei? Labia alba, valde plana inaequabilia: fundus est collapsus, excesus ad fimbrias Laterum in aliis oriretur cicatrisatio, hic vero non, sed malum semper proserpit sub cute, et paulo post ut plurimum alio Loco se manifestabit.
Labia horum ulcerum sunt semper depressa. Docent Chirurgi, quod in omni ulcere, ut spes sit vitae, debeat semper haerere quaedam Inflammatio ad margines ulceris. Sed haec hic nunquam est, nam labia sunt, quasi Zonae essent deorsum tractae, et cutis semper subcumbet: hinc in omnibus iisdemmus coriaceas quasi Zonas introrsum pressas, dum omnis adeps ibi positus consumitur.
Margines semper sunt solidi et splendentes colore albo.
Fundus horum ulcerum nunquam profundus est, nisi Locus sit,

ubi

ubi pinguedo crassissima subcumbit, ut in clunibus et ingui-
nibus. Si ad haec Loca ulcera fiunt, tum totam pinguedinem depas-
cuntur, et faciunt profundum sinum, sed semper sistuntur
ad membranam musculos investientem, positam (ut scitis) inter
musculos et adipem.

Alia ulcera saepe magis introrsum eunt, haec vero non. Sed
fundus habet solam membranam dictam intercurrentem inter
musculum et membranam adiposam, et tunc musculi subpo-
siti apparent nitidissimi et ruberrimè sua carne, quod in aliis
ulceribus nunquam occurrit; nam ibi saepe quodammodo laesi sunt.

Talis nunc est viva idea horum ulcerum, et nihil refert, ubicun-
que in corpore sunt, cum illa tantum differentia profunditatis à
crassitie pinguedinis majori minorive dependet.

Haec omnia nunc sic considerata absolutè referunt Cancros an-
te descriptos in pene virili, quoad solidi mutatam figuram; et quo
ad materiam, referunt perfectè Gonorrhoeam: Ergo puto mihi hacte-
nus tantummodo Gonorrhoeam fuisse speciem Luis venereae per par-
tem, qua introiverat, se iterum excernentem. Sed Luem venereeam
per totum corpus dispersam, quatenus parit sua mala ex fomite, esse
se Gonorrhoeam natam ex interioribus ad exteriora: hoc curatio do-
cet; nam qui ulceribus venereis Laborantem hominem curat in ip-
so Loco, pejorem reddit; sed qui materiam allicit extrorsum non
corrodendo aut constringendo, pulcherrimè curat. Hinc fomenta,
balnea &c. prosunt.

Semper nunc, si in corpore à fomite invisibili fuerit natus dolor
fit, quia contagium hoc se dispergit ad membranam ossium, eorumque
medullam, tum apparet summus dolor, et nullum praeterea signum;
et si ulcera externa tum oriuntur, statim minuitur, et evanescit il-
le dolor, quando haec ulcera sunt apertissima: sed simulac pera-
cria sistebatur materiae fluxus, et ulcera clauduntur, statim
illi dolores nocturni redeunt, de quibus postea. Vide Aphrodisiacum:
simulac vero, et quo magis haec ulcera suum pus profundebant,
eo melius se habebant Aegri in corpore interno. Ergo haec ulcera
non sunt Lues venerea, sed fonticuli et fistulae, per quae cor-
pus à Lue venerea interna liberatur.

Ulcera haec depasta membranam adiposam in uno Loco ibi fa-
ciunt cicatricem semper cavam, quoniam totus adeps consumtus
est, ut et tenuissimae cellulae et cutis destructa sunt: haecque
cum nunquam renascuntur, fit novum quoddam integumentum,
quod musculo supercrescit.

Qui adsueti sunt haec mala videre, veteres cicatrices distin-
guere possunt, an sint à Lue venerea, nec ne. Nam semper ru-
bra livida valdè polita, tensa et excavata manet cicatrix, ac mus-
culo adcreta, nec perspirans, sed admodum tenuis; nam si tangis
v. g. ad frontem, est fere nulla.

Hoc integumentum heteroclitum semper concrescit cum parte
subposita ad abdomen, nates, femora &c. sunt magna crassamenta
pinguedinis

pinguedinis, hinc si partes has obsedit Lues Venerea, et curata est, tum id, quod vocamus cicatricem relinquit, indignem cavitatem in illis partibus; hinc alia planè est forma harum cicatricum quam in aliis ulceribus sanatis, quoniam natura in aliis ulceribus solet protrudere speciem membranae cellulosae à partibus vicinis, et subest integumentis aliquid pinguedinis, hinc cicatrices paulò planiores sunt: hic vero non, quia omnia lateralia loca exesa sunt, hincque ibi manent tam profunda.

Hinc apparet in variis corporis partibus magna harum cicatricum diversitas; nam in illis locis, ubi nuda fere ossa sunt, nova species cutis videtur de osse enasci, eique adcrescere ita, ut immobilis ossi adhaereat, foedo adspectu: Talia loca sunt frons: ulcus fit in fronte, hoc incendit membranam cellulosam, fit tuber, quandoque lentissimè increscit, elevatur, quod tandem disrumpitur, materia descripta exit, consumitur panniculus adiposus, et formatur cicatrix; tum haeret hic vera fossa splendenti membrana tecta, et sic manet per totam vitam. Vidi tales facies cicatrisatas, sed horrenda spectacula praebebant.

Praeter varias Luis Venereae species distinctas in hac secunda specie, maximè necessarium habui iterum distinguere, an malum occuparet loca cute tecta et Epidermide, an verò sola Epidermide.

In ulcusculis, quae oriuntur in locis, ubi cutis est, distinguo, quod vel 1º nascuntur, ubi inter cutem et ossa fere nulla substantia mollis interposita est, vel 2º ubi multa pinguedo interjacet.

Illa nunc loca, ubi sola Epidermis, Cutis et Periosteum est, ibi semper interjacet membrana cellulosa, nam nulla cutis parti firmae adcreta est, sed mobilis interjecta est illa membrana cellulosa ad mobilitatem conciliandam; nam nulla pars firma ad solidam movetur, nisi interposita hac membrana, exceptis cartilaginibus in articulis.

Nunc dicimus, quotiescunque accidat, ut à viribus vitae ulcerosum contagium deponatur in locis pinguedine vix tectis, tum oriuntur certa malorum genera. Talia loca sunt frons, vertex, sinciput, occiput, extra loca, ubi sunt fibrae musculi Crotaphitis, corrugatoris frontis, superciliorum, musculi occipitalis Eustachiani, et tendines omnium musculorum occipiti insertorum ad caput movendum:

Si demtis his locis alibi in dictis partibus oriuntur ulcera, citò consumunt membranam cellulosam; primò eam mirificè inflammant per affluentem materiam, unde tumores saepe nucis myristicae magnitudinem aequant.

Hoc ulcus occidit cutim, nam simulac cutis elevatur à vasis suppositis, omnia quasi suffocantur, et cutis fit livida, purpurea, ac in mortem tendens.

Cutis statim elevatur supra ossa, et tum disseminatur hoc malum per elatam membranam cellulosam, unde fere tota frons nuda fit.

Quando

De Lue Venerea.

Quando haec bona fortuna sanantur, nascitur species heterogenei integumenti, quod nec est membrana cellulosa, nec cutis, nec cuticula, sed fines vasorum abrupti, ab aëre compressi, et cum periosteo concreti. hinc tota pars manet livida, resplendens et immobilis.

Talia loca sunt etiam maxilla inferior ad latera sub osse proprio maxillari; tuncque turpis fit excisio: talia loca sunt claviculae, quibus nulla fere pinguedo superponitur; talis pars quoque est sternum, imprimis anterius; tibiae in parte anteriori, locus ille Chirurgis adeo notandus. sed hunc enim locum nil est, nisi tenuissima cutis. omnes musculi ad latera et posteriora siti sunt; nec haeret hic ullus tendo vel ligamentum, sed sola epidermis, cutis, et membrana cellulosa tenuissima. Notissimum est in Chirurgicis, quod, si hic fiat contusio, primo nil appareat extrinsecus, sed postea subito intumescit pars, et paulum simulac proserpit, tum periosteum eroditur, unde horrenda mala: videatur Bellini.

Quando ergo nunc Lues Venerea oritur, quid tunc fit? licet concursus malignum non sit, horrendae oriuntur miseriae.

Ad haec loca depositum malum variat à natura situs partis, et hic duo occurrunt.

1º. Membrana cellulosa hic est tenerrima, nam supra musculos est paulo tenacior, unde Ruyschius eam hic noluit adiposam vocare.

2º. hic statim nuda ossa subjacent, vel cartilagines; hinc ilicò acrius coriacea cute resistente exedit membranam cellulosam tum subjacet Periosteum ossi directe incumbens, quo tantum leviter affecto malum statim ad ossa pervenit.

Haec mala ubi hic oriuntur, faciunt.

1º. Tumores enormes quoniam suppositum os nil cedens introrsum facit tumores prominere extrorsum; hinc oriuntur semper

2º. Pessimae cutis gangraenae. In aliis locis cedunt subposita et lateralia, sic ut vasa cutis superpositae accipiant adhuc sanguinem; sed hic non, quia nec latera, nec inferiora cedunt.

Quum haec sanata sunt, stigmata pessima relinquunt.

1º. Quia cutis mortua et consumta nunquam recrescit, neque etiam epidermis; sed oritur integumentum heterogeneum ab exsiccatione &c.

2º. Quoniam cutis in aliis partibus semper mobilis, hic manet immobilis et tenditur, adhaerescens periosteo.

3º. Quia membrana cellulosa tota consumta est, quae nunquam renascitur; hinc nudum os quasi appareret, et tegitur membrana tenui impenetrabili, coloris alieni &c.

Accedunt ad secunda haec ulcera.

In aliis corporis plagis, ubi adeps ominius dominatur, id est, ubi insignis crassities est inter os, musculos et cutim, oriuntur longè alia ulcera. Facile intelligitis, nunquam in nostro corpore pars quaedam fortuitò occurrit, hinc ubi nulla pinguedo requiritur, nunquam reperitur, etiamsi homo mirifice pinguescat, ut in scroto: sed ubi musculi crassissimi et maxime mobiles sunt, ibi maxima copia reperitur.

Si

De Lue Venerea

Si nunc ad talia Loca adplicatur Labes Venereus, facit id, quod in reliquo corpore, et semper contagium haeret in membrana adiposa quae 1º ut ab omni causa inflammante, inceditur et inflatur: et tum 2º tumor oritur singularis. Undenam illi tumores oriantur, vix possum explicare. Medici dicimus eos fieri ab inflammatione, sed forte etiam sunt a quadam rarefactione. Quando hoc factum est, 3º hoc fiunt ulcera profundissima. Dicunt vulgò, quod in Lue Venerea non fiant ulcera profunda: hoc verum est, sed debet addi, si corpora macilenta sunt, vel si Loca modo descripta occupata sunt: sed in his Locis profundissima fiunt, nam omnis pinguedo consumitur, et tunc malum it usque ad musculos, si ibi est minor resistentia, quam ad latera.

Haec ulcera consumunt totum Lardum corporis. Membrana adiposa est triplex. 1º Cellulosa. 2º pinguetudinosa. 3º Sebacea in partibus maximè mobilibus, ut inter nates, et ad glutaeos.

Loca in quibus talia ulcera fiunt, Lardo consumto, sunt imprimis humeri, brachia, dorsum, Lumbi, femora, Surae, nates.

In his Locis, si nascuntur ulcera venerea et sanantur, manent aliquando cicatrices tam profundae, ut binos digitorum articulos capiant; nam membrana adiposa, cutis, cuticula &c. hic consumta non renascuntur, ut ante dixi.

Unus Locus est praeter haec Loca, ubi mirum quid contingit. Rogavi omnes Anatomicos, ut vellint me docere, quaenam esset illa pars corporis, quae ponitur in cervice sub cute. Novistis homines hic posse ferre mirabilia pondera, quae in nullis aliis gestare possunt:

Nunquam potui intelligere veram hujus partis naturam, et fabricam; in bajulis est pollicem crassa, est quasi fungosae, rapaceae substantiae, molli Liquore quidem plena, sed Liquido in vasa arcta distributo, heterogeneum corpus est.

Quando hic ulcera fiunt, quod tamen rarissime fit, ferè sunt incurabilia, et pessimè adficiuntur homines.

Ex his facile capitis, quod si haec ulcera hic obiverint seriam periculosam, et separatio facta est, tunc oriri, sanatis his ulceribus molestissima symptomata, quia cicatrix partes reddit immobiles.

Hinc oritur rigiditas illa mirabilis in movendis scapulis, brachiis &c., cujus princeps causa est, quod pars Lateralis cicatricibus adcrevit subjecto musculo, adempta pinguedine.

Ulcera haec simulac in uno Loco sanata sunt, statim oriuntur alia in alio Loco, ut non solum aegri, sed etiam medici saepe desparere incipiant. Quamdiu manet unum, in reliquo corpore nihil adparet, sed simulac sanatum est, nascitur aliud intra paucos dies in alio Loco, et hoc sanato iterum ad alia Loca transit. Vidi pulcherrimum hominem, cui totum dorsum foedissimis cicatricibus erat immobile.

Tertia

De Lue Venerea.

Tertia Species Luis Venereae.

Quando fomes internus in prima et secunda specie descriptus deponit contagium in Loca cute carentia, tum consequenter hoc malum oritur.

Hic debemus attentissimi esse ad phoenomena; quoniam concipietis fieri in Locis, quae non videtis id est, in corpore interno.

Multos annos haesi, quia non inciderat cogitatio, quod deberem ulcera Venerea interiora considerare, ut ulcera in Locis cute carentibus, in partibus conspicuis oriunda.

Malum hic haerens consistit vel in inflammatione, vel in suppuratione.

Quamdiu est inflammatorium, raro cognoscitur, sed facile patet, si exulceratur; sed debet curari, antequam exulceratur, alias difficillima cura est.

Omnia Loca cute carentia sunt valde rubra, ut apparet in cantho oculi majore, naribus interioribus, Labiis, interiori parte praeputii &ct: Hinc quando illa Loca rubescunt, non potest primum stigmatis initium observari, donec specie aphthae appareat; sed tunc jam exulceratio facta est.

Rubedo paulo magis intenta, quam naturaliter, sed cum calore et dolore minore, quam in reliquis partibus inflammatis, hic aliquid signi dat: Ergo in diagnosi respicimus ad illa Loca, v. g. Labia nares &ct: et si quis suspectus fuerit, et videmus alia plus rubere, splendere, calere, dolere, quam alia, credimus malum tale esse, et curamus.

Verum si nunc ad haec Loca post inflammationem oritur vera suppuratio, Longe alia indoles ulcerum hic est, quam in iis partibus ubi cutis est, uti in glande penis patuit, et in vagina muliebri.

Loca haec omnia, ut scitis, sunt vasis sanguiferis rubris arteriosis et venosis confertissima, sic ut ea Labiis solo epithelio avulso oriatur saepe vix sistenda Haemorrhagia, hinc in his Locis Laesio statim est in vasis.

Ad haec autem Loca vix est pinguedo, nisi minima copia.

In Lingua bubula videtis clare, seriem esse fibrarum muscularium vix distinguendarum, in qualibet serie sunt musculi exigui, tamen distinctissimi, quae distinctio pendet à membrana pinguedinosa, quae in lingua est adeo tenuis, ut si quis imprudens putaret, totam Linguam esse carneam, sed si accuratè examinetur, patet membrana pinguedinosa.

Ad haec igitur Loca, ubi facta est suppuratio, tum non haeret in ampla pinguedine, sed in flocculentis illis ramentis pinguedinosis inter granula glandulosa, vascula, et (si adsint) fibras musculares tenues.

Hinc qua facie haec ulcera apparent? 1º. Sunt Aphthae uti dixi.

haec

De Lue Venerea

Haec Aphtha ubi decidit, Locus adparet flocculentus, quasi villosus; tum in Latus procedit, et facies ulcerum in fundo nil refert, nisi mucosum, subflavum colorem, Labia diducta, complanata; et quoniam membrana unguedinosa circumquaque haeret, mira certe est horum ulcerum facies, ut testantur Chirurgi, qui nunquam magis mirantur, quam ubi tractant ulcera, v. g. in palato mobili &c.

Partes, ubi haec ulcera imprimis occurrunt, sunt Nasi interiora. Ruyschius descripsit, quod cutis, cum ad nares devenia, vix ad ½ partem Pollicis se indinnat retro, sed tunc quasi abscissa desinit, tumque oritur membrana rubra, quae dat vibrissas, seu pilos narium, et paulò superius fit membrana Schneideriana. Haec caret omni cute, sed habet epithelion tenuissimum, in quo recta porriguntur demonstrante eodem Ruyschio ultima orificia arteriarum et venarum exhalantium et resorbentium, unde liquidissimis rescriptib. hic mucus fit. Praeterea sunt hic loculi ovales cavi, qui crassi dant guttulas muci inspissati notante Schneidero, facti ex iisdem arteriis, sed in illos folliculos desinentibus. Praeterea hic haerent nervi duplicis generis, 1.° Olfactorii directè à cerebro geniti Et 2.° nervi quinti paris sternutationi inservientes. Membrana haec investit ossicula cavernosa, retrocedit in sex mucosas cavernas, supra vomerem, palatum, velum pendulum palatinum &c.

In omnibus his Locis habemus eandem membranam, sed diversis Locis diversimodè applicatam: Ruyschius dicit, quod illa membrana sit incredibiliter tenuis, cum tamen nobis adpareat satis crassa; cujus rei ratio haec est: Ruyschius praeparans sua arte partes, solet eas diu macerare, et heterogeneum fluidum avellere, tum materiam ceraceam injicere, et sic impletas partes iterum in aqua suspendere, ut, quod impletum non est abeat: hinc mirum non est, omnia adparere tenuia; sed quando in naturali situ spectantur omnibus cavis plenis, non mirum est, quod tam crassa sint; exemplo sit vesica urinaria; haec contracta naturaliter est incredibilis crassitiei, ita ut saepe 6 digitum aequet; haec eadem, si flatu distenditur est incredibilis tenuitatis: Ergo debemus intelligere, quod sit de natura nostrarum membranarum, ut contrahi et distendi possint.

Haec igitur membrana supra ossicula spongiosa est incredibilis tenuitatis: ossa autem illa in Lamellas distinctas Lacunas faciunt, quas ingreditur haec membrana, et tamen semper viam in nares apertam relinquit; et si sint centum Lamellae osseae, tum habent ducentos parietes; cum autem singulus paries hujus membranae habeat productionem, hinc adparet, quanta & quam tenuis haec membrana sit.

Septum medium narium est cartilago mirabilis in illa parte, quae facit pinnam nasi. Haec est mobilis et inter segmenta cartilaginea fracta, quasi Ligamenta habet intermedia, omnia illa segmenta junguntur Συνδεσμώσει, id est, junctura Ligamentorum: tum hae cartilagines investiuntur

Sola

De Lue Venerea.

Sola haec membrana narium, quae superexpandit ligamenta et ibi duplicatur, ac omnia vasa unde emissa penetrant in ipsum corpus cartilaginis, quod est tenuissimum, ita ut aestate, si homo valde calidus haeserit in loco tenebricoso, sole tantummodo in nasum irradiante, pervideri possit. Superius oritur pars ossea septi, et ibi Perichondrium fit Periosteum.

Huc etiam referimus cava, ibi existentia, scilicet sinus sex, qui sunt veri specus, in quos naturaliter nil potest ingredi nisi aër externus et mucus ex loculis secretus. Construuntur ex ossibus, lamellis tamen tenuissimis, quae habent omnia ea vasa et organa, quae dixi. Nullum autem habent periosteum praeter hanc membranam, cui nulla alia subjacet.

Pars superior palati, sive fornix constat ossibus conniventibus quatuor, maxillaribus scilicet superioribus duobus, quibus duo appendices accedunt, scilicet ossicula palati; post haec oritur velum pendulum palatinum. Hoc palatum consideratur primò, qua parte intra nares est, et tum nihil habet, nisi membranam dictam pro periosteo, et ipsa haec in parte posteriori expanditur in velum pendulum, unde, ut intelligitis, mirabilis illa valvula narium mobilis motu musculari in parte sua superiori recipit omnem mucum ex sinubus destillantem.

In Palato inferiori est dura, sinuosa, rugosa, et callosa illa membrana, quae cocta alba apparet: haec ritè examinata habet plica valvulosa terminata versus partem posteriorem, et est verum periosteum, sed adeo crassum et callosum, ut possit sustinere omnia.

Cum In palato inferiori est dura, sinuosa, rugosa, et callosa illa membrana, sustinet omnia dura et aspera, imò et ipsa venena, sine laesione ipsius ossis: simulac vero haec membrana pertusa est, statim ipsum os laborat, et nudatur omnibus vasis, unde ne hoc fieret, est tam crassa. Simulac haec membrana callosa processit usque ad finem ossei palati, retrò expanditur, et format inferiorem partem veli penduli palatini, et ad latera tonsillas, ac duos arcus mirabiles musculosos.

Inter has membranas in velo pendulo locantur musculi qui, ut moveri possint, etiam habent membranam cellulosam.

Hinc quando ulcus haeret in his locis, nondum est tantus metus, sed ubi erosio pertingit usque ad os, illud incipit erodi; et hinc horrenda illa ulcera oriuntur.

Sunt hic etiam tonsillae, quae sunt glomeres mucilaginosi et promicondi lubricum humorem parantes et retinentes ad deglutienda oblinienda.

Tum hic etiam sunt labia in parte anteriori, et in illorum commissuris, pessima imprimis ulcera oriuntur.

Deinde gingivae etiam adficiuntur isti planis flocculentis ulceribus, haec, fateor, aliquando, sed rarò, etiam in scorbuto; verum in Lue Venerea frequentissimè occurrunt.

Haec

De Lue Venerea.

Haec pergunt ad genas et ubi ad emissaria glandularum Salivalium perventum est, ibi sunt papillae gustantes aeque ac in Lingua à Ruyschio observatas, imprimis in animalibus ruminantibus, hinc aculeati illi processus sunt: Hinc ulcera venerea hic tam horrendè dolent.

Tum sequitur Lingua: cujus camera interior polita est, ubi emissaria glandularum Warthonianarum haerent: in iis Locis semel orta ulcera sunt pessima propter Granula ibi existentia.

Tum est venter Linguae, sive pars ejus prominens; haec cute carens, sed tecta epithelio est, cui succumbunt soli musculi cum pinguedine.

Dorsum Linguae investitur membrana callosa, cutanea, diversa tamen ab omni cute in toto corpore: hinc rara hic oriuntur ulcera; sed si fiunt, semper tubera crassa ibi adhaerent, tumque horrenda ulcera proserpentia fiunt, et dolorifica, quoniam cutis illa continuo elevatur, dum interim papillae nervosae hic numerosissimae exeduntur.

Radix Linguae habet plurimas cryptas mucilaginosissimas membranaceas usque ad Epiglottidem.

Membrana Epiglottidem superadscendens est eadem; sed ibi fit valdè tenuis, et cum Epiglottis sit valdè tenera, hinc minima hic facta Laesio in Locis aëri expositis, summa mala producit.

Tum sequitur ejusdem membranae productio ambiens totum caput Laryngis; haec ad rimam accipit Cryptas Morgagnianas.

Tum à parte postica est Pharynx, simili membrana obductus. Si homo efflat animam non per nares, tum velum pendulum videbitis sursum trahi et claudere cavum narium; tumque videbitis membranam quandam rubram, sed quae habet stigmata mucosa à Morgagnio et Valsalva descripta. Haec membrana est partim musculosa ex musculis Cephalo-pharyngaeis &c. partim mucilaginosa ex suis cryptis; et partim est periosteum incumbens vertebris septem colli, eorumque Ligamentis.

Nullus Locus magis considerandus est, quam hic; nam ille est, ubi miserrima ulcera rodentia ipsa vertebrarum colli corpora usque ad Ligamenta, et tunc oriuntur summi dolores, et horrenda Symptomata.

Hic nunc dixi, quae notanda praecipuè habui de ulceribus venereis à causâ interna ortis, ad Loca solo epithelio tecta, quae oculis conspici possunt, quae doctrina applicari debet omnibus ulceribus ortis in omni Periosteo à causa interna in Lue Venerea.

Ulcera illa in omnibus his partibus examinata cum patientia et microscopiis, nunquam haerent, nisi tantum in membrana pinguedinosa, et hanc tam mirificè depascuntur, ut fibras musculares et nervos nudos relinquant in parte, quam occupant, et continuò proserpunt, reliquis in initio integris relictis.

Hinc puto, quod, ut brevis sim, debeamus concipere malum venereum, quamdiu haeret in hac oleosa substantia (fuerit medulla in ossibus, Liquidum unctuosum in articulis aut interstitiis fibrarum muscularium, vel Lardum in panniculo adiposo) semper ibi

haereat

De Lue Venerea

haereat, nil mali in saliva, urinis, semine &c. faciens, nisi quatenus cum ipsis ad alias partes applicatur.

Cognoscimus, corpus nostrum sic factum esse, ut commercium sit inter omnes corporis partes, nulla plaga excepta; nam membrana cellulosa subcutanea non modo commercium habet, sed et eadem ubique se immittit.

Hinc percipere debemus pro Luis venereae intellectu, quod tenue hoc venenum semel conceptum habeat pro suo territorio, in quo dominetur, totam expansionem membranae cellulosae.

Verum scitis in illa membrana naturaliter nihil esse, nisi oleum duplex: in medullis est limpidum, liquescens, insipidum, minimè tenax, destinatum illinendis ossibus et lubricandis articulis; sed quâ parte haeret super musculos, ibi fit crassius, subsolidum, et minus mobile, quoniam ibi tamdiu haerere debet, donec ad actionem musculorum requiratur, cum funditur, dividitur, et ex locis suis expellitur.

Hoc oleum est sedes veneni venerei, ut ex praecedentibus patuit. hoc oleum est humor tenacissimus corporis, omne volatile retinens suo lentore, secum continens, et impediens, quo minus exhalare, aut latice aquoso ablui possit.

Labes haec venerea haerens in hoc oleo, et ibi fota calore corporis multiplicat se, ut in Gonorrhoea patuit; et cum commercium fit hujus olei singulari habitu structurae per totum corpus ad cavitates ossium usque, tum intelligitis, hoc venenum hoc oleo exceptum non posse ablui, dum interim propagat se per totum corpus. Non haec dico tumultuario, sed multos annos morbum tractavi, antequam hoc rescivi, et omnia experimenta hoc confirmant: enimvero caeteri humores corporis vix adficiuntur, nisi quatenus sunt oleosi: Chylus in hominibus Lue venerea laborantibus est optimus, si recens est, Lac mulierum nutrientium infantes quae infectissimae sunt, ipsum illud Lac, quâ Lac est, non multum hujus mali habet: inficiuntur quidem infantes, sed magis à papillarum et cutis contactu, quam à lacte, quod ex natura morbi cognoscitur, nam non primò accipiunt hi infantes mala in ventriculo, intestinis &c. sed praecise ad Labia, ubi papillas tangunt.

Sanguis hominum sola Lue venerea infectorum est optimus, sic ut primi scriptores jam testentur hunc morbum non haerere in sanguine: serum sanguinis etiam non videtur ullum malum habere, nisi quatenus habet oleum: Lympha Latex, ipsa urina, sudores, saliva, nec ipsum semen aliquid mali habent: est quidem illud spirituosum, sed non inficit, nisi ad quiescens oleum applicetur.

Antonius

De Lue Venerea.

Antonius Benivenius, qui inter primos auctores de Lue Venerea scripsit Anno 1507. observavit, quod mucosus humor veneno huic concipiendo, fovendo aptus, sit pinguetudinosus, mucosus, mucilaginosus, unctuosus, qualis est ille humor, qui ad articulos, ad ligamenta, et supra musculos est.

Nicolaus Massa, qui Anno 1540. scripsit, dicit in Lue pustulae diversae et aliae adfectiones cutaneae apostemata fere semper pariunt, et ulcera maligna, licet saepe ad genitalia nil mali omnino videatur: has (dicit) dum studiose aperui, semper inveni in fundo aliquid densi, albi, crassi, viscosi. Addit, in cadaveribus semper in loco, ubi dolor venereus in vita fuerat, inveni materiam albam subviridescentem: et idem dicit de Gummi venereis &c.

Ex his videtis, in prima morbi idea hoc inventum fuisse, quod venenum venereum non faciat malum, nisi tale quid inveniret.

Qui dicunt, se aliud vidisse, debent exempla hujus rei dare. Ego nunquam potui tam perspicax evadere, ut continuo hominem in primo morbi initio, potuerim detegere morbum, nec credo alios potuisse: sed facile est famam et lucrum quaerentibus dicere, se sanasse hominem de Lue Gallica nullo adparente signo. Sed quando hi viri volunt dicere, quae revera invenerint, semper dicunt, fuisse materiam oleosam lentam, quasi sebum fusum.

Ergo nunc tracto morbum, in quo primo conceptum fuit venenum venereum intrinsecus, et inde diffusum ad omnes humores oleosos vel in toto corpore, vel in quadam parte.

Haec ulcera, quae fiunt, nunquam decurrunt profunda, nisi venerint à profundis; sed hoc dico, quod in quocunque loco vagum illud virus se figit, nunquam penetrabit ullas partes solidas, nisi ductu membranae cellulosae: si autem haeret in exterioribus, ibi semper per superficiariam superficiem membranae adiposae procedunt, et hac excesa tandem penetrant ad interiora.

De Secunda et tertia Specie Luis Venereae.

Diagnosis harum habetur 1°. Si signa et imprimis suspicio primae Luis praegressa sint.

2do. Si tum post haec signa postea fiunt conspicua ulcera descripta. Jam non ulcera debent esse, quae à febre, vel simplici phlegmone veniunt, sed quae descripsi, et per suas notas exposui.

Quando haec duo adsunt, nemo dubitet, adesse Luem veneream secundi vel tertii generis, id est oleum sanguinis infectum esse hoc tabo: et nil refert, quonam in loco, malum hoc primo se manifestet.

Prognosis quaenam est? Respondeo, descriptionem morbi dedi, nam valde fui sollicitus, ut viderem, observavi, et legi, ortum in certo loco primum, progressus, dispersionem, et effectus ejus omnes; hinc qui illam hujus mali historiam intellexit, facile videbit, malum

hoc

De Lue Venerea.

hoc posse se propagare, ni ocius praecaveatur ejus commercium, et brevi venire ad periosteum, ossium medullam, cartilagines, ossa, Ligamenta. Ergo Luem Veneream nullius momenti habeo, quamdiu haec Loca integra sunt; sed si haec infecta sunt, tum et aeger, et medicus fortunati funguntur suo officio, ut percuratur bonâ fortuna hoc malum.

Ergo quando considero hanc Luem Veneream scilicet, primi, secundi et tertii generis, tum facile patet, quid futurum sit de propagatione, sed interim facile sanari poterit, non natura, sed arte: si vero malum ad ossa pervenerit, vix curari potest. V: g: Argentum vivum adhibitum homini, qui fere suffocatur intra suam pinguedinem, intra sex septimanas ipsum reddet tam macilentum, ut praeter cutem et ossa, fere nihil habeat homo; sed emacia illud corpus quantum potes, nunquam facies, ut nulla medulla sit ad ossa, et ut nullus Liquor sit ad articulos: nam vel summus hydrops quidem venit ad membranam cellulosam, sed nunquam ad medullam aut Articulos ossium.

Ergo haec est tota Prognosis, quam in his videmus, quod scilicet malum primò ibit per totum tractum membranae cellulosae, et tandem ad Loca quibus incumbit membrana ordinans vasa per has duras partes vadentia: quo si malum se propagaverit, oriuntur mala postea describenda.

Curatio Luis Venereae Secundi et tertii generis.

Postquam cognovistis vestrae curae se committere hominem, qui vere habet venenum internè conceptum et depositum ad certa Loca, tum quaeritur, quaenam sit indicatio, ut certò expugnetur hicce morbus penitus, nullo remanente vestigio.

1°: Ergo curatio requirit Expulsionem veneni concepti ex corpore. Tota historia morbi hucusque visa persuasit, quod illud corporeum faciens hoc malum sit adeo subtile, ut millies conceptum, ne semel noceat, scilicet in hominibus macilentissimis. Hoc si possum expellere penitus, corpus erit ut ante, et ulcera statim coëunt et sanantur, quod saepe adeo mirantur Chirurgi. Vel

2°. Requiritur, ut cognita Antidotus huic veneno opposita extinguat efficaciam hujus suscepti veneni. Enimverò dum totam venenorum historiam expendimus, videmus, omnia venena tolli vel expulsione, vel per corpora huic veneno directè opposita, quae se non manifestant ea actione. Venenum venereum si non occupasset corpus nunquam fuisset cognitum: sed nunc ex efficacia sua tantum noscitur, caeterum ejus indoles adhuc penitus incognita est; nam quid propriè sit, quod haec mala patret,

nescimus

De Lue Venerea.

nescimus, sed tantum scimus, quid illud θεῖον soli Deo cognitum faciat: et haec tantum relativa sunt ad corpus humanum. Cum nunc in rerum natura semper omni veneno sit aliquid Antidoton, hinc etiam et hic erit aliquid.

Quale ergo illud est? penitus incognitum. Dicunt Metallurgi Mercurium hoc facere; sed falsum est; nam homo saepe Lue venerea moritur, cujus corpus Mercurio impletum est. Dicunt herbas quasdam, ut Lignum Guajaci certissime sanare; sed quoque falsum est; nam in America, ubi adeo culta et nota est haec planta, plerique homines cum suis servis sanantur per salivationem Mercurialem:

Hinc ergo postquam evolvi omnes auctores, non vidi ullum esse, qui habet cognitam antidoton, quae non mutando corpus extinguat hoc venenum. Scorpius v: g: aculeo suo percutit hominem: homo peritus sumit scorpionem, eum conterit et applicat loco affecto, et morbus alias oriturus non sequitur. Corpus illius hominis mutaretur ab illo ictu ad mortem usque, et omne hoc tollitur, si animal contritum parti laesae imponitur; si vero corpori sano applicatur, nihil facit.

Haec sunt antidota, et specifica medicamenta: sed tale hic desideratur, sed forte post hac invenietur: ergo hucusque manet tantum prima indicatio, scilicet materiae venenatae expulsio. Ut nunc illa materia possit eliminari, ipsa mutari non debet, quod docuit tota historia praemissa: sed tota curatio in eo consistit, ut oleum corporis sic dissolvatur, ut oleum, in quo nunc hospitatur illud venenum, non amplius sit oleum, sed ut sit aquae miscibile, ut de corpore detergeri possit: et hoc solum potui discere.

Si in eo puncto ergo consistit tota res, ut clare nos docent phaenomena, commendo, ut omnes bonos et in arte candidos auctores legatis, et examinetis methodos, quibus usi sunt, et quas invenimus fortunatas, ut hoc facto videatis an aliud quid factum sit per omnia remedia, quam quod homo penitus emaciatus fuerit: Hoc dum sic se habet, per tot labores incidi in hanc sententiam, quod si possem adeo fortunatus esse medicus, ut penitus dissolvere possem omne oleum, quod tunc tantum debeant naturae vires excitari, ut per omnes vias evacuationis hoc solutum oleum de corpore eliminetur.

Nunc omnibus bonis agnoscentibus sunt haec remedia, quae breviter percurremus.

1º. Dico: hoc non est adeo difficile, ut putatur, nisi cum jam consumtae sunt partes, quas servare impossibile est: Quamdiu v: g: haeret venenum venereum in periosteo ossis cujusdam spongiosi, membrana adhuc integra, tamdiu curare possum; sed si membrana jam est consumta, os cadere debet, nec possum restituere unquam, quicquid alii dicant.

Ergo quamdiu malum haeret adhuc in oleo corporis, tamdiu in arte est sanare; sed quando malum eo usque evadit morbus, ut ossa deformaverit, vel suis vasis nutritientibus spoliaverit, tunc haec debent secedere, nam restitui non possunt.

Prima

De Lue Venerea.

Prima methodus hanc Luem Veneream curandi.

Scilicet per emaciationem.

Debeo hoc corpus emacerare, et omnem pinguedinem tollere sive expellere.

Si malum est recens, dispersum per corpus omnium, distributum per humores, si homo satis fortis est viribus corporis, et hoc corpus vergit in macilentiam, audebo suscipere hunc hominem curandum sine decoctis et Mercurio vivo: sed bene cavite, ne res protrahatur ulterius, ut universaliter instituatur haec methodus.

Ergo, si hic casus est, requiritur victus macer siccus ex pane biscocto, avena, hordeo, milio, uvis Corinthiacis, passulis majoribus, prunis, oleribus, maturis fructibus horaeis terrestribus, ut moris, fragis, cerasis &c. Endivia, Dauci, pastinacae, betae radicibus, rapis &c. in quibus oleum non est, quae pro cibo penitus sufficiunt. Tali victu sole homo vivere debet.

Vidi hominem animi pertinacissimi hoc malo laborantem, cui dum diu tentatae essent aliae methodi, et auditum esset, Luem posse sanari solo raparum crudarum et coctarum usu, qui hoc cum fecisset per menses, bibendo solam aquam, Pythagorico hoc victu sanatus est.

Potus esto aqua, vel serum lactis tenuissimum, nec aliud.

Exercitatio corporis maxima, quotidiana, continuata cum toedio ad sudores usque, nam vis vitae debet esse tanta, ut omne oleum consumat, nec permittat novum generari.

Homo talis debet uti Balneo vaporis: id est, si corpus ejus validum est (nam hoc inter conditiones in suscipienda hac curatione requisitas posui) mane et vespere debet sedere in sedili corpore tecto pallio ex linteo incerato, semicurio insideat, haereat per quadrantem horae, vel dimidiam, aut totam horam, prout vires ferre possunt, et excipiat hoc modo vaporem calentis aquae per totum corpus, et tunc emaciatur totum corpus.

Ultimum, quod superadditur, est frictio corporis mane et vespere instituenda post exsiccatam cutim à balneo madidam, pannis asperis per totum corpus.

Medicamenta sunt Bardanae Radices et Folia. Radices Chinae Americanae et Asiaticae, Lignum Guajacum, Buxinum, Juniperinum, Santala tria, Sassafras, Salsaparilla, Taraxacum, Trifolium Aquaticum. Ex his vel omnibus, vel singulis fiat decoctum, prout homines solvere possint, quod sumitur magna copia.

Finis

De Lue Venerea.

Tunc si malum est intra limites descriptos, et haec methodus per sex vel septem septimanas continuatur, saepissime curatur.

Vetustissimi dixere, quod si emaciatio, si sudor salubris laboribus excitaretur, hos homines curari posse.

Nicolaus Massa dicit pagina 51. multi solo exercitio perfecte liberati sunt, si fuerint robusti. Sed haec nullius momenti sunt, si vis vitae jam est magna, nec haec dicta addunt.

Alexander Petronius pagina 1308. Litera D. dicit illud idem, et Bernardus Politanus et reliqui.

Nunc haec res experimentis confirmatur. Novistis, quale sit hominum genus, qui ad remiges damnantur in Liburnicis in Mari Mediterraneo, ubi minus peccaverunt, quam ut manu Carnificis plecti possint. Nil curant Gubernatores illarum navium, an laborent Lue Venerea, nec ne, modo pane biscocto et sola aqua utantur, et summopere laborare cogantur fustium stimulo ad summos sudores usque, nam tunc omnes curantur, modo ossa non sint perdita.

Sic ergo videmus clare, quod Medicus (sum in hac sententia) debeat semper respicere totam aetatem, qua vivet ille homo, sine semper cogitare debet, tum tractat talia mala, ne illos homines Mercurio sic exhauriat, ut tota vita doleant imprudentiam: si modo haec cura adhibeatur, tunc corpus nulla virtute spoliatum exit, si patiens hoc morbo tantum laborat, et constanter hanc methodum adhibeat.

Quonam signo certi sumus, malum hoc curatum esse? Hic R. R: si omnia symptomata mali per hanc curam perfecte abeunt, bona cicatrice sanantur, nulla alia parte propullulant, nulla alia symptomata proveniant, et aegri liberalioni victui commissi nihil mali exhibeant. Nam dum malum non radicitus curastis, statim hoc malum recrudescit, simulac ulcera clausa sunt: et 2do simulac symposiis vel coenis liberalionibus indulgent, statim recrudescit: sed si per multos menses nil mali proveniat, quis non pronunciat sanos? imprimis si ad majorem motum nil mali sequitur.

Omnium certissimi sumus, bonam sanationem fieri, si ulcus antea saniosum incipiat bonum pus generare, ut reliqua ulcera, et cicatricem faciunt non adeo ambesam, sed reliquis ulceribus magis accedentem.

Si quis hac methodo curatus est, et sponte iterum aliquid se manifestat, debet curari eodem modo: sed tum plerumque semper aliquid imprudentiae commisit. Sed sine redintegratione causae sponte, nunquam tale symptoma redit. Verum contra homines plerique putant, omne, quod supervenit postea, v: g: Coryzam, esse reliquias hujus mali; ergo medicus debet videre, an aliquid sequatur ex natura hujus mali; et si non, tunc debet eos monere, ut quieti sint. Quod autem exempla memorentur, quod post sanationem

hac

hac ratione peractam repullulaverit hoc malum, Credite, prae cundone eos accusare illud se tuò, cum sit reverâ ex nova jmprudentia commissa.

Nunc Legite quaeso omnes primos Auctores de Lue Venerea videbitis omnes animadvertisse, quod primò nato hoc malo in Europa, ignorato ullo remedio contra hunc morbum, qui macilentis se reddiderunt summis Laboribus quotidiè exercitatis, omnes Curati fuerint, vel certè malum tolerabile habuerint.

Haec est una methodus emaciationis scilicet, et haec curatio non fit antidoto quadam, sed sola olei dissolutione et expulsione.

Secunda Methodus curandi Luem Veneream secundi et tertii Generis per Purgantia.

Si praegressa methodo venenum extricari negat, remedia et methodus valentiora requiruntur, quae semper tantummodo curant faciendo idem, quod jam indicavimus: id est totum et omne oleum corporis dissolvere, ut fiat liquor per vasa meabilis, et ut majori vi expellatur.

In eo autem apex hujus curae est, ut medicus certus sit, nil remansisse de veteri labe: hoc difficillime sciri potest, nisi certò sciam, nil de veteribus humoribus amplius superesse, quod non fit, quin corpus primò emacietur, quo usque illud fieri potest, et 2o. repletione per novos humores.

Finxit vetustas Medeam, quae herbarum salubrium et venenatarum peritissima fuit, succos veteres subduxisse corporibus, eaque replevisse novis humoribus, hinc Juvenes pueros fecisse, et senibus juventutem reddidisse: sed nos reverâ hac methodo, hoc tempore hoc facimus.

Verulamius in Tractatu de vita Longa, dicit, monendos saepe esse Medicos de possibilitate hujus fabulae, quam de Medea narrant, et (dicit) hoc clarè fit per decocta nostra Guajaci; hinc oportet hominibus senibus haec exhibere.

Certus autem debet esse Medicus; hac cura omne omninò venenum ablatum esse, nam nisi hoc factum sit, aeger aridus simul ac instaurari incipit, minimum illud semen fovet, ut postea iterum vegeat, floreat, et semina disergat.

Si oleosum, medullosum ossium haeret intus in imis recessibus ossium eo vix fertur vis emacians et expellens, hinc hoc ultimum difficillimè solvitur; hincque illi aegri saepe tam difficulter sanantur. Sed nec ii sanantur Mercurio.

Homines

De Lue Venerea.

Homines, quamdiu hanc sequentem curam sustinent, sani apparent, quamdiu scilicet emaciati sunt. Sed simulac cibos pingues sumunt, recrudescunt mala, unde causa repetenda in iis est, miserrima haec curatio. Hoc nullus graphice magis descripsit quam Christophorus Bennetius in Theatro Tabidorum, ubi dicit: Quamdiu hi homines sanguinem antea factum penitus aquosum gerunt, sani sunt, simulac vero olea, carnes etc. assumunt, pejus se habent.

Haec omnia praemitto, A. A. ut animum praeparatum habeatis, ne putetis, me extorquere ab hominibus quod facere non possent, nam mea indicatio est, ut corpora pura reddantur.

Si nunc rursus repeto omnia ante dicta, vidi, duo tantum me dixisse remedia, quae hoc facere possunt, scilicet Lignum Guajacum et Mercurius.

Ipse Paracelsus Lignum suum Ebulum Indicum agnoscit pro vero et sufficienti remedio ad morbum hunc superandum, (hoc autem est Lignum Guajacum) et in Chirurgia sua ubique Mercurium praescribit. Hinc alia remedia non habuit. Reliqui Auctores omnes in his consonant. Disputant vero, an Lignum Guajacum hoc facere possit, et plurimi putarunt non; sed tunc nec ipse Mercurius hoc potest facere.

Cum methodus haec ita innotuerit, una exceptio est, ubi simul Gonorrhoea vel alia mala exposita adsunt viris aeque ac mulieribus, ubi macilentia quidem, sed non illa violenta expulsio requiritur.

Praeter hanc methodum Argentum vivum inter fossilia, et inter vegetabilia quaedam inventa sunt, quae certis experimentis, certa methodo hunc morbum quoque expugnant, scilicet summa purgantia et summa sudorifera.

Omnia, quae memorantur vim habere curandae Luis Venereae, sunt adhibita, vel per methodum purgandi vel sudorem eliciendi; quam purgandi methodum multi veterum adhibuerunt, et horum efficacia constat ex dictis de Gonorrhoea, et experimentis patet: hinc non sine ratione de hac methodo cogitandum.

Sed A. A. quid subest? non prius haec vel alia methodus securum praestat curatum ab omni futura recidiva, nisi purgatio illa processerit eousque, ut omne oleum solverit et expulerit. Quis autem mortalium hoc feret? ne metu mortis homines possent audire nomen purgantis, et si jam assumerent purgans, non possent retinere.

Qui ergo haec purgantia adhibent, ut faciunt imprimis Monspelienses medici, si aeger sit constantia tam magna, vel aer magis subtilis, quam est in his regionibus, ut plus fundat humores, gaudeant; nam alias nunquam curarent.

Hinc re omni pensata sine odio vel studio dico, me nondum discere potuisse, ullum vegetabile vel fossile valuisse eradicare. [illegible] cura Luem Veneream, nisi prius haec methodus purgandi, vel salivam aut sudores excitandi solvat primo omnes

veteres

De Lue Venerea.

veteres humores, & tum credo, non multum refert, quanam methodo, aut quibus remediis utar, modo vires vitae sufficiant; sed saepe numero jam simul laborant febre Hectica, quando ad nos veniunt et tum decocta dare non possumus, sed primo per aliquot menses nutrimus, ut vires restitutae sint.

Sequitur nunc, ut videamus post curam morbi per emaciationem, et per purgantia, curam Italicam et Hispanicam exsiccantem, qua totum corpus ab omnibus humoribus ita exhauritur, ut penitus macilentum evadat. Haec methodus mihi est duplex, vel 1o. per sudores, vel 2o. per Ptyalismum.

Tertia Methodus Curandi Luem Veneream Secundi et tertii Generis, scilicet per sudores.

Dico per pauca commota.

1o. Aegrotantis corpus debet habere vires idoneas sustinendae huic curationi. Robustissimi hominis corpus hac curatione fit adeo solutum, ut quasi Linteum flaccidum fit, nam totus sanguis pro tempore fit decoctum Guajaci. Si nunc in illo homine viscera vitalia, aut alia, ut pulmo, hepar, splen, ventriculus &c. sic corrupta sunt, ut sustinere non possint hanc repletionem et actionem, non possumus suscipere hanc curationem.

Si talis homo tamen hac cura eget, suadeo semper diaetam Lacteam per aliquot septimanas, Balneum quotidianum aquae dulcis additis quibusdam emollientibus, Frictiones moderatas, ter vel quater in die exhibendas: pauxillulum vini confortantis, quale est imprimis vinum Canariense, vel de Palma, si genuinum habetur; nam hoc cum Lacte non facit coagulum; aliter sumitur vinum Malvaticum vel Hispanicum, sed pauca copia.

Hac medicina et aëris rustici usu moderatis vectionibus, conor illud corpus implere et refocillare, non audens ad majus nutrimentum dare carnes metu olei, quod jam hic praedominatur.

Ergo corpus per se satis firmum, vel sic firmatum, aptum est sustinendae huic curationi.

2o. Tempus Liberum ab omni negotio sex septimanarum ad minimum requiritur. quod si non possint aut nolint vacare, tum haec cura non est suscipienda; nisi enim omne pingue solutum et expulsum fuerit, frustra suscepta est curatio; nam nunquam magis furit venenum, quam in corpore emaciato. Accedit, quod haec cura sit revera incommodissima in tanta abstinentia et tantis torturis balneorum.

3io. Toto.

De Lue Venerea.

3.tio **Toto hoc tempore haerere debent in aëre noctes diesque ad Thermometrum valdè calido pro ratione tempestatis anni.** Qui hanc Legem ignorant nihil praestant boni. Vidi solertissimos medicos dum aestivo tempore excitarent calorem similem hypocaustis in Hyeme, sed hic tum non sufficit, nam tum natura facit calidiorem, ergo tunc in frigore versantur aegri. Hinc quantum videre potui, hyeme camerae calorem per hypocausta ad summum ducimus ad 60 gradus, qui tantus est, ut homo sanus eum assiduè ferre non possit; aestivo autem tempore ad 70 gradus possumus accedere, nam natura saepe facit calorem ad 80 gradus, sed hic non est salutaris: Hoc ergo debemus facere hac ratione, ut, si sit summum gelu, minuamus paululum calorem et in summo aestu paululum augeamus. Hoc si non fit, et impletis corpus decoctis, ut faciatis sudores, nil proderit operatio. Debet ergo homo talis poni in camera, quae adspectum habet satis calidum, v: g: ad ventum Austrum: tum camera debet esse clausa et camino carere praeter fornacem; nam Caminus si adsit, ventilabra facit, et frigus inducit.

4.o **abstinere debet toto tempore curationis ab omni potu fermentato.** Debet bibere Serum Lactis vel ptisanam hordei, oryzae etc: Serum Lactis autem bis in die recens pressum debet esse, quia ibi in illo calore cito acescit. His possunt passulae minores prius concissae, Glycirrhiza, Ligna Santalina incoqui, et saccharum pro lubitu admisceri, et excogitari potus satis gratus, ita ut decoctis istis memoratis admisceatur paululum succi citrini, et Sero Lactis paululum maceris incoquatur. Hoc optimum deprehendi ad Languorem praeveniendum, qui fit à nimio usu diuturno Seri Lactis in Loco calido.

5.o **Cibo uti debet, in quo minimum pinguis est, et qui putredini maxime resistit.** et hoc articulo maxima consistit cura. Cerealia omnia farinosa cocta cum aqua sufficiunt cum saccharo: Ex his cremores, pultes, ptisanae cum prunis, passulis, pomis, pyris maturis possunt praeparari. Panis biscoctus cum uvis passis et uvis Corinthiacis aut ficubus, est totum, quod Ulricus Huttenus concedit, et hac methodo Amstelodamenses plerumque utuntur. Ter de die panis biscoctus cum uvis, passulis, tantillo croci aut nucis myristicae potest dari. Panis biscoctus ideo convenit, quia ventriculo quid stabile dat. Fructus horaei maturi cum pane nunquam nocent, ut sunt fraga, cerasa, poma, pyra matura. Huc etiam refero Serum Lactis, Lac aquâ multâ dilutum; sed solum Lac est nimis pingue. Vitanda ergo sunt Lac, Ova, Carnes, Pisces, et horum producta, quia in his est oleum pingue, et dispositio ad putredinem.

6.o **Exercitatione corporis et frictione quotidiana opus est**, quae frictiones suppleant defectum exercitii in Loco angusto.

7.o Tum

De Lue Venerea.

7.° Tum praeparatur medicamentum, et quidem hac methodo. Eligitur Lignum Guajacum viridissimum, ponderosissimum, Corticibus proximum. Cortex, si haberi potest, est omnium optimus; nimis flavum aut cariosum rejicitur. Tale Lignum in Scobem redigitur, quae facile inveniuntur apud illos, qui Cabinetten faciunt. Hujus Scobis sumuntur Unciae Octo, stent in infusione vase clauso per duodecim horas, coque dein spatio horae affundendo novam aquam: tum frigescat, subsideat, et per manicam Hippocratis coletur, et habetur decoctum primum. Residuo addantur aquae pluvialis Librae Octo, coquantur ad dimidias: Coletur hoc decoctum et servetur titulo decocti secundi, vel Diaetetici.

Intellexistis nunc omnes Leges praerequisitas: sequitur nunc ipsa

Directio Curationis.

Bibat homo omni manè et vespera horâ sextâ decocti primi libram unam.

Hoc valdè forte est, et fauces plerumque ardore inflammatorio infestat, quod incommodum tertio vel quarto die transit, et tum non displicet decoctum: si autem nimis afficit, tum priusquam bibit, frusta pauca aut passulas exacinatas comedat.

Bibat dein omni hora diei decocti diaetetici Uncias duas. Hoc fieri debet ad minimum octo dierum spatio, nullo sudore excitato, ut homo plenus sit, et quasi hydropicus. Si homines sudori exprimendo exponis, priusquam hoc decoctum abundat, fundis sanos humores sic, ut febrim excites, quemadmodum ipse vidi, et in cura pergere non possis: Haec vocatur pars humectans vel implens curationis.

8.° Tum hoc decoctum movendum est per corpus. Hic motus excitatur eo usque, ut in hoc homine exprimatur ingens copia sudoris, et sustinetur, quamdiu vires ferre possunt. Haec sudatio excitatur una vel altera die, sub stragulis aegrum ponendo; et dum facta sudatio est, corpus benè detergeri debet.

9.° Tum sudor fit sub cistella vel craticula. Nunquam licet adeo calefacere aërem in Camera, ut homo vel inde in sudores agi posset, nam pulmones hoc non ferrent. Hinc fit primò cellula lignea quadrata, prismatica, tam alta, ut homo in ea sedens, capite libero emineat; hinc quo arctior, eo melior. Tum ubi sic locatus est homo, sumitur vasculum ex aere confectum cylindricum, altitudine 5 vel 6 digitorum Latorum, raro ultra 2½ pollices in diametro. Hoc calescit cum spiritu vini rectificati, qui nunquam ei infunditur, quin semper spatio pollicis

à

à margine absit, et vasculum habeat tam latam basin, ut non possit cadere aut aeger moneretur, si caderet. Apertura vasis non debet esse trium digitorum, ne nimia copia simul ardeat. nam alcohol in quadrata ratione superficiei ardet, et observavi, quod corpus hoc magnum incendium ferre non possit.

Hoc facto ille spiritus vini calefactus incenditur admoto ellychnio: simulac illa flamma oritur, homo haeret in balneo alcoholis vini in aquam mutato penetrabilissimo, tumque omne decoctum extrorsum trahitur; homo incipit anhelare, et cum bonum aërem refocillantem habet, penitus in sudores resolvitur, ita ut posset horolii spatio occidi.

Haeret in illa cistella tantum semel de die in initio, et tam diu, quam vires ipsius ferre possunt, quod patet ex pulsu arteriarum carotidum.

Quando nunc homo prima vice per quadrantem horae ad summum sustinuit hunc sudorem, debet reponi in lectum calefactum ad minimum per duas horas sub stragulis, antequam surgat.

Verum excogitarunt homines aliud commodius. Nimirum ponuntur aegri corpore penitus nudato in lecto calefacto, et post assumtum decoctum ei circumponitur craticula ex trochis ligneis (hoepels) confecta, ut omne pondus stragulorum haereat in illis trochis. Tunc supponitur tubus ex bracteis ferreis confectus, qui in infundibulum desinit, intra quod vas modo dictum aeneum ponitur, accenditur alcohol, et vapor clauso hoc infundibulo transit calefactus sub illam craticulam, et sudores ut prius excitat.

Haec methodus praecedenti melior est, ideo, quia cum homines satis sudarint per alcohol, craticula haec aufertur, et stragula ipsum facile tegunt sine aëris admissione.

Post haec facta, homo sumat paululum juris carnium cum pane secalino, aut detur vinum Canariense, vel Rhenanum, nam alias fere deficeret.

Ubi nunc decem vel duodecim diebus aeger hoc ita sustinuit, et ita sudare debet mane et vesperi; id est omnibus duodecim horis sumit decoctum primum, antequam sudat; dein ubi detersus fuit, sumit decoctum secundum, ut dictum, omni hora vel horolio, tumque vespera sumit iterum decoctum primum, et iterum sudat.

Tum hoc aegri valde debilitantur, unde statim ac sudarint, vel vinum Rhenanum, vel jus carnium exhibetur.

Continuatur haec methodus secunda fere in desperatissimis morbis per tres vel quatuor septimanas, et quando hunc terminum perpessus est, tum iterum semel in die per unam alteramve septimanam, et hoc facto curatio absoluta est. Haec methodus ad perfectionem redacta est.

Saepe numero

De Lue Venerea.

Saepenumerò assedi integris horis, vidi tanta vi fundi humores, excitari tantam febrim, tantum aestum et calorem, ac enormem impetum ad exteriora, ut ulcera in fronte conspicua viderim virtute Ligni Guajaci sursum elevari tempore sudationis, et perfectè sanari, ab infimis facta separatione.

Hac methodo tum imprimis usus sum, quando malum venereum pinguedini ossium inhaerens vim Mercurii non admittebat. Certissimè enim vos in Praxi videbitis, quoties humores in tardissimis illis recessibus à vi cordis remotissimis, ubi lentissimus humorum circuitus est, malum insidet, licet totum corpus Mercurio repleas, eo non ducitur Mercurius cum potestate, qua requiritur; et si jam eo fertur, haeret quasi in pixide, et tota vita manet.

Falluntur ergo maximè, qui putant, tantam vim arteriis et venis nostri corporis inesse, ut possint immobile illud argentum vivum deducere in tantum motum, quantus requiritur ad hoc malum solvendum. Hinc in his casibus repletio facta per decocta et sudorifera, determinatione facta extrorsum, plus proficimus hac cura, quam ulla alia nota.

In hac curatione hoc unum cavete, ne siccis corporibus unquam adhibeas sudationem, nam exempla sunt, homines in animi deliquium lapsos mortuos fuisse. Fit enim tanta corporis laxatio et tanta circulatio aucta, ut tanta fiat evacuatio, ut deficiat applicatio sanguinis ad cerebrum et cerebellum, adeoque et spirituum ad cor et nervos. Hinc corpus debet esse robustissimum, sanguinolentum, et valdè penetratum et impletum his decoctis.

Scimus nunc sanationem hanc (ut cauti porro absistere possimus) hac cura obtentam esse, si omnia symptomata cessant, id est quando ulcera sanata sunt, dolores nocturni perfectè ablati sunt, et tumores subsident ac penitus evanescunt.

Postquam hoc jam obtinet, cavendum, ne homines hi statim ad pingue alimentum se dedant, ne, si quid veteris mali supersit, illud statim iterum se manifestet.

Haec est methodus pulcerrima, quae solet curare pessimos luis venereae effectus, ubi malum ad ossa tenuissima solo periosteo tecta haeret, id est, ad sinus maxillae superioris, frontales, sphaenoideos, palatum osseum, vomerem, quatuor ossa spongiosa, septi medii loca, ad quae ubi virus hoc erodens pervenit, in omnibus his casibus ille locus ossis, ubi erosio facta est, caret omni sustentaculo vitae, nam sunt capilli fistulae

tenuia

De Lue Venerea.

tenuia (v: g: ossa spongiosa) ergo omne alimentum per arterias allatum applicatur his ossibus tantum per illud periosteum, quod integit illam partem. Si ergo virus erosit periosteum, tum locus ossis, unde sublatum est, caret omni sustentaculo vitae: sed tenera illa ossicula tunc vasis suis orbata, perfecte sic mutantur, ac si in aëre externo haererent, id est, in cineres vertuntur, et collabuntur in cineres, sed quoniam humores semper utcunque affluunt, in fungositate horum ossiculorum retinentur, et putrescunt, unde horrendus ille foetor, ubi haec ossicula erodantur.

Eant ergo illi jactatores, qui dicunt, se haec curare posse per sua suffimigia et salivationes; nam haec mala non possunt curari, nisi suppeditetur illud, quod separatum est: Ossicula illa committuntur inter se per suturas. haec sunt imprimis illa ossicula, quae orbitam oculi et nasum constituunt. Committuntur fines ossium per harmoniam dictam veterum, id est, serratam articulationem, quae tempore deletur, ut recentiores demonstrarunt. Quousque nunc sanatio promittenda est? Ponam v. g. os superius nasi. Hoc os cohaeret cum osse maxillari, frontali, et altero nasi in adultis quasi applicatione, in infantibus quasi synchondrosi, in media aetate, quasi serratim. Ubinam desinet hoc malum, et quousque poteris sanare? Si unum tale os periosteo suo orbatur, tu poteris per hanc methodum curare omne quod vasculosum est, usque ad illam suturam, sed illud os, quod orbatum est periosteo, hoc nunquam sanatur, nec periosteum hic recrescit, quod quidem fit in omnibus plurimis lamellis constantibus, sed non in his tenuissimis.

Maximum nunc adminiculum est, ut si quis locus pessime affectus sit, tempore sudationis proxime ponatur ad aperturam tractei ferrei, quo recipitur vapor alcoholis, dum interim epithema ponatur ex decocto guajaci in linteo spongioso. V: G: si os tibiae ingentem habeat exostosin, tum caminum applicabo sic, ut illa pars quam proxime accedat ad exhalantem vaporem alcoholis, et 2do antequam sudatio fit, bis terve applicabo pannum decocto ligni guajaci imbutum, ut vis expellens et determinans hic major sit.

Haec est methodus, qua curavi aliquando paralyticos, quando paralysis est topica vitio musculorum et tendinum, aut involucris nervorum; tum haec sudatio et methodus facit illud idem; nam nunquam habemus rigidius et fortius imperium in corpus quam hac methodo. Legite Franconis, et Ulrici Huttenii libros de hac re, qui optime et candidissime scripsit, et hanc methodum salivationi longe praefert in epistola ad episcopum Moguntiae. Credo autem, quod nemo audeat suspicari, hunc virum gravem ausus haec scribere ad Cardinalem, Episcopum et Electorem Imperii, si haec ficta fuissent: Tamen puto, me debuisse vos monere, quousque procedat haec curatio, et

ubinam

ubinam subsistat, scilicet cum corpus esset tam debile, ut hanc curam ferre non posset: nam alias ipsam spinam ventosam hoc modo curare possum, modo corpus sit satis forte. In ossibus autem tenerrimis periosteo destitutis nil plus potui facere, quam os separare à suis juncturis.

Tota curatione sudationis ad ulcera non debemus aliquid imponere aut inungere, nisi v. g. Emplastrum Diapompholygos, ut aër arceatur, quod Emplastrum tollendum est, ubi sudores fiunt, ut major sit perspiratio: Ulcera enim venerea saepe sanantur Mercurio externè applicato, sed tum non certi sumus, quod curatio interna penitus perfecta sit.

Quarta Methodus curandi Luem Veneream secundi et tertii Generis, scilicet per Ptyalismum

Ptyalismus ut instituatur, requiruntur in praeparationibus.

1º Vires satis fortes, ut possint ferre hanc methodum; nam si labefacta sunt corpora, eam non applicamus, licet requiratur. An ergo talis homo pro desperato est ablegandus? Hoc non patitur amor, quo homo homini obstringitur, ergo tum tentamus, an possimus corpus illud eo deducere, ut ferre possit. Itaque tum primò balnea, frictiones, et diaetam ex lacte et pane cum aëre rusticano adhibemus, et si sint ulcera, illa, quantum fieri potest, curamus per Mercurium externè applicatum, et interim corpus vectionibus firmare: si his non redeunt vires, non debetis tentare hanc salivationem, nam morientur homines. Non possum dicere vobis, quod viderim Lacrymandus fere, ex una curatione in aliam incidisse, cum ab uno Chirurgo ad alium irent, et sic vidi hic nobilem Brittannum exstinctum simpliciter, quod Chirurgus intempestive salivationem adhiberet.

2º requiritur liberrimum otium sex septimanarum ad minimum. Quoniam non sum arbiter curationis, quod intra primus spatium perfecta erit.

3º aër calidus, ut prius monui, in historia sudationis, et quo calidior aër, eo potentior erit vis Mercurii, sed etiam eo saepe periculosior: nam quando calore corporis in actum deducitur, et externè etiam calor augetur, felicissima curatione saepe sanantur intra decem vel duodecim dies.

Hinc in India Orientali et Occidentali, ut scriptis didici, incendunt fornaces summopere, et faciunt tantum calorem, ut incredibile sit, tumque faciunt salivationem maximam suis servis, qui inde eo citius aut sanantur, aut moriuntur.

Ergo

De Lue Venerea

Ergo Mercurius nunquam agit in corpus, nisi calore corporis, id est viribus vitae; sed cum calor externus febrim excitare possit, donec moriatur homo, hinc ille calor externus supplet defectum interni; hinc si ambo agunt, tum furit Mercurius in corpus, et illud putre facit, ut oleat cadaver. Si nunc interim bona liquida suppeditantur, et vires vitae sufficiunt, curantur felicissime.

4º. Abstinentia. ut prius.

5º. Cibi et potus. ut prius.

6º. Frictiones totius corporis ut prius: ut scilicet homo aliquoties tribus, vel quatuor diebus ante dandum Mercurium haereat in balneo vaporis, tuncque fricetur, et post hac moderatum laborem suscipiat: nunquam enim felicius, quam si corpus rite dispositum sit in omnibus partibus, ut Mercurius in unam partem non plus agat, quam in alteram; nam ibi maxime agit, ubi maxima est resistentia.

7º. Si hanc curam passurus sit valde juvenis et Plethoricus et aestas sit calida, Optimum est mittere sanguinem: ut corpus per salivationem febricitaturum in toto et in loco salivationis non nimis agatur; nam saepe hoc non facto merus sanguis profluit, et horrendae haemorrhagiae oriuntur, nunc vero hoc remedio tumores illi inflammatorii, suffocativi ad fauces, haemorrhagiae, magnae febres, et Dysenteriae sanguinolentae saepe oriundae ex salivatione praeveniuntur.

8º. Optimum est ante datum Mercurium omne stercus subduxisse. nam toto tempore salivationis intra tres septimanas vix alvum deponent. Quid ergo nocet cremorem tartari, cassiam, Mannam adhibere quolibet die antequam Mercurius datur, vel si festinatio adsit, ter quaterve de die clysma injicere, ut omne crassum eluatur.

Hocce jam solum et omne est, quod praeparationi requiritur.

9º. Quoties opportunitas temporis permittit, mihi videtur semper ratio curationis exigere ut homo ante Mercurii usum ad excitandum Ptyalismum integra septimana utatur victu humectante, molliente, moderate implente. Hoc ideo, ut sufficiens copia humorum in corpore sit; summa quippe mala, quae oriuntur ab hac methodo, causantur a siccitate, qua Mercurius non habet sat humorum, hincque vasa nimis laeduntur. Victus itaque sit ex Lacte, Cerealibus, passulis, ficubus, et aliis ejus generis, ut in corpore, in quo fiet Ptyalismus sit minimum materiae in putredinem vergentis; nam patebit, quod Mercurii effectus sit vivum corpus putrefacere, et sic dissolvere humores, ut salia et olea sic mutet, quasi cadaver exponeretur aëri calido. Tum a Mercurio tanta oritur putrefactio (si corpus valde proclivum est in putredinem) ut

Tenerrima

tenerrima vascula non ferant, unde pessimae putredines et tabefactiones. Hinc legitis tabem Hepatis, pulmonis secutus ab imprudenti usu Mercurii; quod omne mihi videtur ex hoc neglecti accidere. Hinc sume alimenta, quae putredini resistunt. Sic minuto corpore, cum nostri humores sponte tendant in putredinem, hinc non possumus hoc inhibere nisi per solam diaetam.

Quaeritur, An praeter Venae sectionem, clysmata, et alimenta antiseptica non aliis medicamentis utendum sit ad praeparationem? Hic est quaedam distinctio observanda, nam credo, si corpus, hoc morbo excepto sit perfecte sanum, non opus esse magno molimine: Verum si sit forte scorbuticum, atrabiliarium, et omnium maxime, si metus adsit ulcerum internorum, tum est necessitas maxima: nunquam enim pejus agit Mercurius, quam in corpore melancolico, scorbutico, sic in scorbuto enim sic dissoluti sunt humores et vasa, ut sponte quasi diffluant, nam gingivae pressae sanguinem statim emittunt, et maculae lividae per totum corpus adparent: Ergo in tali corpore, si argentum vivum ingeratur, tenerrima et corrupta vasa prius dissolvit quam humores.

Si ergo hoc malum adsit, tum

10° Tota septimana utatur decocto demulcente, leniter fundente et dissolvente, non valde aromatico. Princepes hic sunt medelae, Guajacum, Bardanae caulices, folia, Radices; Chinae radices pro ditioribus, si bonae et recentes sint, radices Eryngii, imprimis maritimi, Foeniculi, Petroselini, Sarsaparillae, Stipites Dulcamarae, Glycyrrhiza, ex quibus varia eliguntur et decoquuntur in vase clauso cum aqua, donec spissitudinem lactis habeat decoctum; tum exhibetur omni hora uncia una vel altera per eam septimanam, qua victus ille praedispponens adsumitur. Sic corpus disponitur, ut humores sint diluti et mobiles, antequam vis Mercurii corpore excipiatur.

11° Tum homo optime facit, si semel vel bis Balneum aquae dulcis ingrediatur, ibi haereat per quadrantem horae, tumque detergeat corpus, ut magis perspirabilis sit cutis. Hinc prudentissime veteres curantes Luem Veneream semper praemiserunt balneum ptyalismo.

12° Ubi autem tophi vel apostemata nondum crepantia vel et ulcera adsunt, tum homo ille induat talia indusia quae ferre potest toto tempore pura et calida: nam tum non licet mutare vestes. Idem et verum sit de Lecto.

Haec sunt quae ad praeparationem requiruntur; nec scio aliud quid superesse. Sequitur nunc

Ipsa

De Lue Venerea

Ipsa Ptyalismi Operatio.

1°. Solus est Mercurius in rerum natura notus, qui curabit Luem
Veneream praeter curas exsiccantes: Provoco omnes Auctores tam Chemicos,
quam Medicos, nec deprehendo ullum fuisse in alia opinione.
Principes tamen viri summae Auctoritatis saepe fingunt, quasi haberent
aliquid pro Lue Venerea curanda praeter haec; sed quibus omnibus parum sub-
est. Vidi datam esse radicem Pyrethri Masticae involutam, vel cum Pipe-
re, tumque etiam salivatio excitabatur: sed hac ratione Lues Venerea
non sanatur, ut quidam viri putant: sed tantum humores educuntur:
Mercurius enim non sanat, quatenus salivationem excitat, sed quate-
nus prius ita solvit humores, ut virus cum ipsis simul exire possit.
2°. Hoc Argentum vivum nunquam hoc facit, nisi ingrediatur corpus,
et non nisi vires vitae supersint: alias enim quidem quid molitur,
sed salivationem non excitat.
3°. Mercurius debet dari ea multitudine, ut salivationem dolentem
faciat, quod si non facit, nunquam vidi ipsum curasse Luem Veneream:
4°. Debet salivatio esse satis diuturna, donec humores sint res-
tituti, alias facillime recidivam facit:
5°. Debet adeo fortis fieri, donec omnes humores infecti, sint sic
soluti et expulsi e corpore, ut omne venenum simul exeat.
Cum nunc hac ratione id requiratur, videtis facile, alteram par-
tem curationis esse in supplementum deperditorum humorum
alios corpori suppeditare.
A. Mercurius hoc facit quacunque ratione, forma, via corpori
immissus.
I. 1°. Si sanissimo homini vapor ebullientis Mercurii tradatur
per nares vel os in pulmones, tum ille homo incidit in salivationem
putridissimam ad minimum admensis spatium quidem perdurantem.
Hoc moneo, ne incidatis in illum errorem Quercetani, qui putat,
quod Argentum vivum, dum sic putrefacit, venenum expellat, nam hoc
non foetet, et Mercurius idem efficit in homine sanissimo, si scilicet
talis homo sanus tractet Mercurium imprudenter: si enim instar
vaporis adscendat, videtur tunc penetrans ipsos pulmones, et per venas
bibulas resorberi, sicque sanguini commixtus salivationem excitare.
Hoc Experimento volui tantum demonstrare, corpus primo purissi-
mum nil labis habens a vi argenti vivi in vapores in salivationem
incidere, quae non differt ab illa, quae in Lue Venerea fit.
2°. Crudus Mercurius ad cutim externam applicatus specie vaporis idem
facit: si quis brachia habens supra ipsum, si imprudens diu aestuans
hoc facit, tum fit salivatio.
3°. Crudus Mercurius externe applicatus ad corpus per inunctionem
hoc quoque efficit, quod notissimum est: nam Mercurii unciam unam
cum axungia vel oleo tenaci sumebant olim Medici ad Luem cu-
randam, tumque intra triduum, si cuti calidae prius perfricatae
applicaretur, salivatio oriebatur teterrima; et cum in fortibus et

absolutè

De Lue Venerea.

absolutè sanis hominibus hoc fieret, idem fuit effectus: imo cum talis levis inunctio fiat abdomini sanorum Infantum vermes necandi causa, Ptyalismus fuit excitatus.

4°. Mercurius in emplastro aliquo applicatus idem facit quotidie: notum unguentum Helenii ad scabiem, cui inest Mercurius, scabiem per salivationem sanat. Emplastrum de Ranis Vigonis cum Mercurio simplici duplicato, triplicato, vel quadruplicato egregia est compositio, sed vix sic applicatur paulò majori superficiei, quin salivationem producat.

5°. Imo et Mercurius crudus sine ulla praeparatione assumtus salivationem excitat: hinc maximi hic fiunt Pilulae Barbarossae. Sumit ille scilicet Mercurium simplicem cum Terebinthina dilutum, et addit Aloën vel Myrrham, vel aliud quid gummosi, et inde Catapotia facit et matutino tempore haec si ingerantur, ptyalismum faciunt.

Ergo Argentum vivum si intrat nostra vasa hoc facit; si vero maxima copia solum ingeratur, non ita, sed tum per alvum exit: Exemplo nobis esse possunt illi homines, qui ad metalla damnati, vel mercede conducti sunt, hi enim (ut in Foro Julii, et alibi) si imprudenter haec tractant, vix per tres annos vivunt, miserrime morientes.

II°. 6°. Nunc Argentum vivum hoc idem facit, si misceatur cum iis rebus, quae ipsius fluiditatem tollunt, ista tamen, ut fluiditas iterum ipsi possit conciliari. Sic si Cinnabaris assumatur in corpore, quod nullo modo solvit Sulphur, si v. g. bilis adeo acer vel humores tam alcalescentes et saponacei, tum impeditur vis Mercurii.

Hinc est, quod de Ethiope minerali vix sequatur salivatio, nisi in corporibus, in quibus vis est dissolvendi, vel nisi medicamenta solventia simul assumantur. Hinc videtis, quid sentiendum, cum Cinnabaris datur cum salibus alcalinis, tum sulphure dissoluto habebis argentum vivum purum: sed si cinnabaris igne resolvatur, quid fit? tum amburitur Sulphur, et mercurius iterum expeditus, surgit, it. Hinc videtis, quid judicandum sit de istis jactatoribus, qui per Cinnabaris suffimigia tanta praestant miracula; nam hoc primus auctor jam dixit, scilicet salivationem fieri à vapore Mercurii omnis purgati.

7°. Huc refertur et altera species; nam dixi jam de Mercurii forma solvenda; si scilicet, in mica panis cum pauxillo Galbani contero Mercurium, facio Pilulas Barbarossae, et tunc putatur non adsumi Mercurium sed cum panis et Galbanum à vitae viribus digerantur, tum solus Mercurius habetur expeditus.

Ergo expediri si possit Mercurius operatur, alias non.

III°. 8°. Sed aliter etiam agit Mercurius, dum praecipitatur. Quantum novi, Joannes Vigo summus Chemicus et Medicus primus hoc invenit, unde dicebatur Pulvis Vigonis; hinc et habentur Trocisci de Minio Joannis Vigonis: Fit scilicet ille pulvis ex Mercurii parte una cum sesquipante Spiritus Nitri vel Aquae Fortis vulgaris in retorta abstrahendo, ut nil exeat, et sub fine tantum exhalando, ut nil rubri adsurgat; tum retorta frangatur et deprehenditur in ipsa pulvis varii coloris, albi scilicet, subflavi, flavi, coccinei &c., estque Mercurius praecipitatus Ruber.

Magnus

De Lue Venerea

Magnus Paracelsus dicit descriptionem hanc: sume argentum vivum sic praeparatum, et adde sexties novam aquam fortem et ult, imo urge igne fortissimo, et habebis Mercurium Praecipitatum Rubrum fortissimum; tumque debes dulce quid, aut mite addere, si adhibere velis hoc remedium. Helmontius dicit, Paracelsum hic subticuisse, quod elementum ignis Veneris debeat addi; sed dixit: Paracelsus scripsit suis discipulis: verum dubito an hoc equidem verum sit, cum ex ejus Libris hoc invenire non potui. An ergo Oleum Vitrioli for, tissimum est ignis Veneris? dicit, est separatio ejus partis sulphu, rea à parte ejus metallica. Paracelsus dicit in libro Parvo Nosocomio, quod ab hoc pulvere Vigonis debeat stillari oleum Vitrioli, hinc uno momento avolat totus, et exit Mercurius Praecipitatus Ruber, tumque uno momento fit Turbith Minerale. hinc saepe dubitavi, an Paracelsus quidem illud subintellectum voluerit. Hoc corpus sic praeparatum solet agere ad minimum vigesima parte quod Mer, curius vigecupla faceret; nam si argentum vivum detur ad drachmas duas, tum vigesima ejus pars sic praeparata faceret per acidum sibi additum, tam fortem ptyalismum, quam Mercurius crudus vigecupla copia ad libitum.

Quaerebatur, si Mercurio admisceantur sales, quid tum fu, turum sit, et hoc debet ex fundamentis Chemicis intelligi.
Mercurius, quousque ejus naturam per tot annos indagare potui, est tam mirabile corpus, ut admiratus non sim, Veteres Chemistas dixisse, quod sit subjectum summae admirationis.
Hic Mercurius à nullo sale adtingitur, nisi à sale acido fossili, et à nullo quantum novi alcalico: hinc acidi sales vegetantium ipsum at, tingunt, nequaquam (quantum novi) fossilia verò omnia salia.
Haec adtactio Chemicis dicitur Extraversio Sulphuris Mercurii: Mercurium totum quantum, commutavi in corpus uberrimum, penetrantissimum, validissime acre, cui nihil omnino addidi, nisi solum Aurum.
Hinc Argento vivo sic mutabili inhaeret corpus aliquod latens prius, et ubi illud expellitur, dicitur Sulphur Mercurii, quod si arte e, ductum est, tum Mercurius, nec ab aqua forti, nec ab aqua Regia, nec ab oleo Vitrioli adtingitur.
Hoc Argentum vivum Amstelodami vulgò venale est purissimum nec desplendit ullum metallum secum habere: hinc, ut intelli, gebatis, adponitur sesquialterum Spiritus Nitri, qui est creatura ante trecentos annos omnibus incognita, nam illud Nitrum quod hodie habemus, non est Veterum. Hic Spiritus unit se Mercurio, eumque ipso momento adeo fixat, ut ignem sexcentorum graduum sustineat sine avolatione: supputavit Hombergius, quantum solidescentis liquidi fluidi ad Mercurium fluidissimum daret in pondere, et res patuit: simulac hoc sic adhaeret Mercurio, adpa, ret color fulgidissimus coccineus: hincque Joannes Pigo sic in, venerat. et Helmontius dicit, Spiritus Nitri agens in Mercurium non potest ejus Nucleum attingere, sed illud sulphur extravertit redditque visibile, et si hoc fixans abstuleris, quod non fit nisi summa

arte

De Lue Venerea.

arte) argentum vivum erit eo deminutius.

Hoc Argentum vivum sic praeparatum agit ad minimum duodecies fortius quam Mercurius solus, nam hujus grana quinque, sex, septem plus efficiunt quam sexaginta alius.

IV. Si huic adfundatur oleum vitrioli, hoc illud habet, ut omne fixatum acidum adfusione sua expellat de occupato corpore, et se in ejus locum penetret. Habeo V. g. Mercurii vivi drachmam unam, adfundo Spiritus Nitri drachmam unam cum semisse, et tum adfundo oleum vitrioli, tunc Spiritus Nitri grana nonaginta uno momento avolant, qui antea ignem sexcentis gradibus magnum eludebat. cum sulphure illo Mercurii, et vitrioli oleum iniit, fecitque pulverem album fixiorem adhuc, quam erat Mercurius ille Praecipitatus Ruber. Hujus est indomabilis virtus nam si granum unum adhibetur, totum corpus solvitur sursum, deorsum omnibus viis.

V. Si aquâ haec praeparatio abluitur, citrinum colorem induit, et tum vocatur Turbith Minerale, cui Spiritus Nitri ablatus est, et hoc triplo plus agit quam Mercurius Praecipitatus.

VI. Si de his pulveribus per destillationem illa acida auferuntur, relinquitur corpus Mercurii cum acido laevissimè adhaerens, et haec dicitur Dulcificatio Mercurii, tunc ejus vis paululum minuitur, et hoc est illud remedium, ad quod Paracelsus tanquam ultimum recurrit.

VII. Sequitur Mercurius Sublimatus Corrosivus. In rerum natura sunt tantum duo perfecta creata à Creatore, Sal Maris et Aurum, ut Veteres Alchemistae voluerunt.

Nunc Mercurius Sublimatus Corrosivus est summum remedium et summum venenum quod habetur, hic enim unitur Mercurius cum sale marino. Sumitur scilicet, ut ille fiat, calx vitrioli, quae est oleum vitrioli fixatissimum, igne non potens expelli, manens in ultima calce Veneris vel ferri: sumitur haec calx, quae est concentratissima olei vitrioli pars, quae summum patitur ignem, sic ut sexcentos gradus et ultra ferat sine avolatione: Hinc longè plus retinetur oleum vitrioli in scobe ferri vel Veneris, quam Mercurio.

Huic sic admiscetur Mercurius et Sal Marinus, tum igne lente et successive adhibito illud vitriolum adgreditur Salis Marini matricem, et omne sal marinum reddit volatile: simulac hoc fit, oleum vitrioli occupat matricem salis marini, et tunc salem facit omnium purissimum, et tunc se unit argento vivo Sal marinus jam acidus factus: interim vis ignis haec bina corrosa, scilicet Mercurium et salem volatilia reddit, et hinc generatur Sal Ammoniacus Philosophorum.

Hinc Mercurius Sublimatus Corrosivus est sal marinus purissimus sublimatus et separatus ab omni foece terrestri matricali, cum Mercurio intime mistus. Hujus Mercurii granum unum facit salivationem terribilem, quod fuit summum arcanum: dissolvebant scilicet granum unum in aqua, et ob saporem aliquem syrupum admiscebant.

Hinc videtis A. A. quantum prosit Chemia ad detegendas vires in natura latentes.

VIII. Hic

De Lue Venerea

VIII. Hic Mercurius sublimatus sic commisceatur cum aequali copia argenti vivi, et tum iterum sublimatur, vis ejus multum extinguitur, et oritur Mercurius Dulcis. Ille nunc datus ad drachmam unam non facit tantam salivationem, quam unum illud granum. Ergo quid facit vim Mercurii? an sal? non: an argentum vivum? non. An copia utriusque? non. Ergo nascitur sic nova arte potestas.

IX. Si nunc Mercurius sic praeparatus conteritur iterum cum argento vivo, et tunc iterum sublimatur, accipitur Panacea Mönkelienium tam inanis certè: nam debebis forte unciam dimidiam ingerere hujus, antequam salivationem faciat, quae potest excitari grano uno praecedentis Mercurii sublimati.

His jam praemissis dico.

B. Omnibus his, quibuscunque fit salivatio, alias non sanant: Hoc dico bono animo in genus humanum, et laudabo illum, qui demonstrat, se possidere arcanum, quo, (Mercurii scilicet) sine salivatione excitata sanaverit Luem Veneream. Hunc cum potui nunquam cognoscere, licet per totam Europam commercia habeam, audeo dicere, non posse aliàs fieri: sed novi quidem, hanc salivationem à quibusdam suppressam facta determinatione deorsum per alvum, simulac salivatio oriretur, et tum iterum Mercurio ingesto, sed hoc nil facit.

Debet excitari talis salivatio, ut humores fluidissimi reddantur. Sed si per curam praecedentem decoctorum, per salivationem, per evacuationes praegressas, vel per debilitatem sanguinis humores subtilissimi sunt redditi, non potest excitari salivatio: hominibus, quibus debui adhibere curam decoctorum, dum recidivam passi sunt, volui omni modo salivationem inferre, sed omnia ferebant sine ullo effectu.

Quando salivatio saepe praegressa est, non potes hominem iterum ad salivationem perducere. Vide Lemery in Actis Regiis Academiae Scientiarum Parisinae.

Quando est debilitas humorum, Mercurius transit per corpus, in quacunque etiam copia detur. Hinc Mercurius non semper sanat, nam exempla habui, ubi ingessi magnam copiam ad ulcera sananda, sed nil efficere potui. Hinc si Mercurius salivationem inducere non potest, non sanat, quod Sydenhamus jam optime dixit.

Ergo Mercurius nunquam habet vim veneno venereo contrariam, sed semper salivationem inducit, si agit, et parum refert, quo modo, qua forma eo utamur, modo salivatio excitetur.

Hinc tutissima remedia sunt praeferenda reliquis, id est illud argentum vivum, quod omnium minime corpus enervat, debilitat, et in mortem disponit: quia omnibus speciebus datis excitari potest, vel non potest.

1º. Ergo

De Lue Venerea.

1°. Ergo Primus Character sit, ut sit tutissimus. Doleo Medicos quosdam imprimis Brittannos omni Corpori juvenili statim infundere Mercurium.

2°. Vos nunquam dabitis hoc medicamentum, nisi provectis ad seros annos.

3°. Debemus habere methodum accuratissimam supputationis, ut sciamus, quantum argenti vivi ingestum sit corpori; nam experimenta periculosa in homine facere non est boni medici.

4°. Minima sit ejus dosis, nam Mercurius absolute destruit corpus humanum potestate sua Mechanica: Ergo quo minori pretio me ab hoc malo redimere possim, eo melius.

Haec quatuor praemissa vobis indicant, quid electuri sitis. Contra vero damnaturi sitis omnia illa acerrima, vix compescenda, quae ingesta medicum semper incertum relinquunt, aut quae majori copia ingeri debent.

Hinc peccant, qui per panaceam illam Parisiensem vel Monspeliensem, per Mercurium saepissime sublimatum, per Aethiopem mineralem expellere volunt venereum venenum.

Omnibus bis inculcatis nobis sufficit Mercurius Praecipitatus Ruber, vel Dulcis vulgaris prae omnibus aliis remediis; nam ut ego discere potui, si haec in salivatione nihil efficiunt, per alia nunquam curantur, nisi forte quaedam Idiosyncrasia in corpore adsit.

Ergo nullius habens momenti omnia jactata arcana, eligimus duo haec simplicia: primo est Mercurius Praecipitatus albus propria manu confectus hoc modo. Rodatur argentum vivum Spiritu Nitri, fit limpidissimus Liquor; huic Muria Salis marini adfunditur, quam diu Liquor opacus albusque fit. Hinc fit aqua Regia; haec difficilius rodit Mercurium, hinc maxima pars praecipitatur, tunc totus Liquor transmittitur per chartam, et in ea restat pulvis candidissimus Mercurii: affunditur aqua calida, donec aqua insipida redeat, tum papyrus retinet omnem pulverem, et transmisit omne acidum: tum exsiccatur, et habetur Mercurius praecipitatus albus.

Hujus si sumitur drachma dimidia cum Sacchari drachma una, et haec in mortario vitreo conterantur, et dividantur in viginti quatuor doses, erit remedium nulli cedens.

Quibus hoc nimis Laboriosum est, comparent Mercurium Dulcem Amstelodami venalem: ille Mercurius sumatur ad drachmam unam cum semisse, et cum Sacchari puri drachma una conteratur in pollinem dividendum in 24 doses; tunc erunt in quaque grana 3¾ Mercurii: hic autem non multum differt a praecedenti; nam

hic

De Lue Venerea.

hic Spiritus salis cum Mercurio est tantum unitus. Haec autem bina remedia nunquam vidi defecisse, ubi morbus sanabilis erat.

Ergo aeger in Loco praescripto conclusus induat vestes ex Lana confectas, quae possunt ad corpus haerere per sex hebdomadas, et induat cucuphas (Carpoes.) Hoc modo non perdidi ullum aegrum: sed nil religiosius observandum est, quam hoc, ne scilicet partes imperspirabiles reddantur.

Homini in tali aëre sic praeparato datur mane hora sexta, nona, duodecima, quarta pomeridiana, sexta et nona una dosis. Hic posui maximam dosin, hancque minuere debetis prout homines ferre possint, nam ab hac dosi for„tissimi etiam homines moveri solent: Minima autem dosis forte esset quarta pars hujus.

Post has doses sumi debet medicamentum narcoti„cum; aut aliter haec medicamenta per vomitum aut Dysente„riam eliminantur. Paracelsus in Libro parvo Nosocomii dicit: Turbith ad grana sex vel septem detur, sed addantur drachma una aut duae Theriacae, nec unquam dat remedia mercurialia, quin addat simul Theriacam, quae scilicet est blandum nar„coticum: Hinc ergo sumimus Unciam unam vel alteram se„quentis remedii.

℞ Aquae Corticum Citri Uncias quatuor.
Puri Laudani. grana duo.
Misce.

Si nunc Nauseae, Vomitus, Tormina Ventris, Alvi Fluxus supervenient prima vel secunda die, ut so„let frequentissime fieri, necessario Tumultus hic Organorum Chylopoieticorum compescendus est, aut aliter defici„unt homines. Oritur scilicet in ventriculo post duas, tres vel quatuor doses molestia intolerabilis, qua dicunt, omnia fastidiosa adparere, et facile inde in animi deliquium cadunt. Caeterum haec solent in facile mobilibus plerumque excitari: tumque nil ma„gis juvat, quam hoc

℞. Terebinth: recent: Unc. ß.
Vitell: Ovi no j.
His penitus subactis adde.
Theriac: Androm: Unc: ß.
Lactis recent: Unci: vj.
F. Clysma.

quo injecto tumultus ille sisti solet.

Sic

De Lue Venerea.

Sic nunc secundo, forte et tertio die pergitur, ad quam Salivatio rarò differri solet.

Oritur plerumque prima secunda vel tertia die febricula calida satis fortis, et molesta, cui adest ferè semper anxietas et sitis. Hinc ergo statim ab initio consultissimum est, ut omni hora bibantur ad minimum unciae binae Liquoris, qui non repugnat actioni Mercurii, et vasa disponit ad ferendam ejus actionem. Omnium optimae sunt Passulae exacinatae cum hordeo coctae in aqua pura, usque dum decoctum spissitudinem Lactis vix habeat: tum bibitur cum $\frac{1}{3}$ parte Lactis addito pauxillo Mellis vel Sacchari ad gratam dulcedinem.

Semper autem observavi, magnas illas molestias, quae hic à Mercurio excitantur, pendere inde, quod sanguis nimis tenax et densus sit, unde Mercurio plus resistit: si vero simul adsit siccitas et acredo, tum haec eo magis fiunt.

Signa Ptyalismi instantis.

1°. Post febriculam illam, sitim et anxietatem toleratam sequitur omnium primus foetor cadaverosus aëris efflati ex pulmonibus, insolitus ante homini sui ic forte sanissimo. Tot annis fui in his observandis, nec vidi unquam hoc fefellisse: imò vidi infantibus mercurium ad vermes datum eundem excitasse foetorem: Vidi viro eruditissimo datum Mercurium ad dolorem stomachi, qui inde in summam salivationem incidit cum tali foetore praegresso: Ergo falsissimum est, quod hic foetor sit à veneno: nam si tempore calidissimo sumitis gelatinam Cornu Cervi purissimam, et Juris vitulini, Sanguinem vituli et hominis et haec quatuor exponitis aëri calidissimo, tum omnia haec primò nullum odorem habentia intra 24 horas tam fracida olebunt, ut ferri non possint. Haec si retinentur foetore illo tam volatilia redduntur, ut incredibile sit. Atque idem nunc hic est, et facit primum signum instantis Ptyalismi

Durat hic foetor, donec totus Ptyalismus desinat, et est violentissimus tempore salivationis violentissimae. Observatores pro vero adserunt, quod canes hoc tempore hanc olidam salivam deglutientes moriantur, quod tamen semper verum non esse novimus. Verum hinc saltem patet, quod melius sit hanc salivam exspuere quam deglutire.

2°. Dentes adsurgunt elevati, quod homo tum maximè sentit, cum maxillam maxillae adprimit.

De Lue Venerea.

3º. Fauces rigere incipiunt, nec multò post tument, et gingivae incipiunt tumere et rubere, tum dolere ad minimum attactum. Nunc ne unum exemplum vidi, ubi saliva profluxit, nisi haec primo praegressa fuerint. Ergo Mercurius tum incipit dissolvere, expulsioni aptum et volatilem reddere sanguinem, scilicet oleum putridum facit et cadaverosum, à quo solummodo ille foetor pendet.

4º. Simulac sanguis hac ratione dissolvi incipit, fiunt inflammationes summæ, brevi lethales, nisi homines multum bibant: nam inflammationes hae sunt resolubiles per dilutionem. Loca in quibus cutis est, non nisi tumore adficiuntur, sed ad loca, ubi nulla adest cutis, tumor ille maximè adparet, ut in ore faucibus &ct: Quemadmodum ergo in his partibus, in quas prospicere possumus, sic etiam credibile est in interioribus fieri, et hinc foetorem illum esse aeque in sanguine per pulmones trajecto, ac in illo, qui v: g: ad fauces ruit.

5º. Simulac hoc apparet, examinavi ulcera microscopiis, tunc omnis inaequabilitas incipit evanescere, omne sordidum abest, labia antea tumida et ambesa fiunt plana, fundus fit instar corallii ruberrimus. Et haec fiunt simulac ille foetor adparet, et quamdiu ille non contingit, haec non adparent. Britannum habui curandum, qui aliquoties salivationem passus erat, in quo non poteram salivationem excitare, etiamsi maximam copiam Mercurii ingererem: sed in illo manebant quoque ulcera, ut ante erant, nec mutabantur. Ergo Mercurius dissolvit primò putridos humores, agit maximè in oleum, et inflammationes facit.

6º. Mox haec omnia determinantur maximè versus fauces; lingua tumet immaniter, ad latera omnium maximè, ubi utcunque exesa adparet, et nulla pars plus dolet, quam haec. Buccae, quà parte dentibus molaribus adcumbunt, omnium maximè inflammantur ad fontes salivosos, unde hae partes infestantur omnium maximè, et saepe magna ulcera vel denario majora etiam post sex menses adparent: Si Mercurius non determinatur versus os, tum ibi illa mala non oriuntur: sed ad illa loca, ad quae terminatur: ita ut si v. g. ad ventriculum vergat, nauseae et vomitus oriuntur.

7º. Gingivae et labia eodem modo se habent, et omnis vultus in partibus, ubi rosa bullata adficitur, etiam tumet, rubet. &ct.

Signa

de Lue Venerea

Signa praesentis Ptyalismi.

Tum incipit in ore undique prosilire humor, qui fere nunquam deglutitur, sed sponte, si non ipsum exspuunt, effluit. Haecque dicitur salivatio. Dicunt exire salivam, sed credo exire omnem humorem corporis putrefactum et conversum in aquam tenuissimam; nam surae aeque marcescunt ac genae, et homo intra viginti dies, si bene procedit curatio, ne semel alvum deponit. Haec saliva est paulo tenacior quam sana, et semper foetorem habet: augetur quotidie magis copia et putredine, et exulcerat os, quod quo fit magis, eo reliqua ulcera melius se habent, quod nunquam fallit. Medicus jam intelligit 1º humores mercurio solutos esse in liquorem tam tenuem, ut possit ore exire, et 2º pinguedinem etiam solutam esse et facile exhalare, ac 3º determinationem factam esse salubrem versus os.

Nunquam observavi à Mercurio excitatum fuisse salivationis effectum, nisi haec omnia prius sint praegressa: nam quando haec non fiunt tunc nunquam fit Ptyalismus: hinc semper putavi, hunc effectum inde oriri, quod irritans, inflammans, exulcerans causa hic sit derivans humores solutos potius, quam hunc pendere à vi mercurii.

Quaeritur, an sit certus terminus, Ptyalismum esse nimium, qui certe lethalis esset, vel an sufficiens? Frequentissime, si salivatio in corpore adulto caeterum sano et repleto fiat, effluunt plerumque unciae XLviii. XXXVj spatio 24 horarum, plus in uno minus in altero.

Nunc Medicus debet sustinere salivationem tam diu, donec omnia sanata sint, priusquam illam sistat: ad minimum per triginta dies vel viginti et octo. Si jam perstet salivatio tanta duratione, jam Librae CXij medicae salivatione sint expulsae, et hinc si supputatis, quae de proportione humorum ad solida corporis Keillius demonstravit, jam perspicitis, omnes humores hoc tempore exhaustos fore, nisi novi essent superadditi. Ponite nunc partem dimidiatam fuisse oleum, videtis totum pingue solutum et expulsum esse, ita ut si talis homo penitus obesus ad curam accessit, et salivationem, ut oportet, perpessus est, ne vestigium pinguis in eo supersit.

Verum diutius protrahendum esse Ptyalismum, mox demonstrabimus, dum interim videmus artis finem in hic esse, ut omnes humores veteres expellantur et novi inducantur.

Cum

De Lue Venerea

Cum omnis illa Saliva tanta copia exiverit, credo magis seseres humores exivisse, quam humorem recens inductum, quod inde patet quia his hominibus saepe purus sanguis ingenti copia per gingivas erumpit: unde patet huc disposita esse non tantum vasa illam Lympham ducentia, sed etiam ipsum sanguinem ferentia, quia si homo roseo colore ad curam accesserit, pallidus inde recedit.

Cogitate nunc A: A: quid agant illi, qui nulla diaeta, nulla repletione per emollientia praegressis adplicant vires Mercurii et videbitis, cur tot homines mortui sint ex sola hac causa.

Quaeritur, quomodo sciamus satis hanc excretionem excitatam, satis diu sustentatam esse? et hoc patet

1º. A tempore durantis Ptyalismi, quem fere semper per 40 vel 42. dies protraxi, non semper tamen eadem evacuata copia. Si enim securitas, praemium talis curae meretur laudem, melius est, paulo diutius protrahere hanc curam difficilem, ut homines illi miserrimi securi esse possint, se puratos esse, quam placendo aegris aliquot dies Ptyalismo subtrahere, et aegrum postea in ambiguo relinquere: imo ipse centies vidi, homines praenobiles ter, quater repetita salivatione fuisse fere enecatos.

2º. A Copia et violentia Ptyalismi. Nonnullis tertia vel quarta die tantus tumor et exulceratio oritur, ut brevi moriantur aegri, nisi continuo reficiantur, et tunc fit summa salivatio, nec est tam diu sustentanda, tumque possumus trigesimo die finem facere, si Librae vij una die proveniant.

3º. Ex evanescentia perfecta symptomatum, ex quibus Medicus cognoverat adesse hunc morbum, et quidem tam validum, ut haec cura requireretur. Sed duo hic monendi estis, scilicet 1º. quicquid ulcerosi est oculis conspicuum, intra 30 dies erit depuratum, rubrum redditum et conglutinatum, ita ut medicus nunquam magis obstupescat vim naturae sanantis, quam si corpus ita solutum sit. Si nunc ulcera haec haeserint circa Loca, ubi ipsum malum subest, ut ad ossa, fallaci pace medicum fallent; nam hoc ulcus V. g: supra os palati sanatur, sed postquam per tres, quatuor vel quinque septimanas sani erant homines, ex illo osse adfecto redibat idem fere ulcus. Ergo hoc sic intelligo de iis symptomatibus quae oculis videri possunt: Hinc nolui in tota operatione ad Locum adplicari Mercurium, ut Chirurgi salivationem instituentes faciunt; nam curatio fit ab interioribus extrorsum, non contra.

2ª. regula, quam hic habeo est, si haeret malum in Locis, quo vis Mercurii non tanto cum impetu fertur, ut detergeat Locum, tum manebit ibidem mala quaedam diathesis: V. g. homo habet ulcus in osse palati, hoc depastum est illud periosteum adeo mirabile palati ossium, quae nuda inter periosteum superius et inferius ponuntur

quod

De Lue Venerea.

quod ulcus originem ducit ex infectione illius ossis, tunc si Salivatio continuata fuit per 42 dies, non evanescet hoc Symptoma quia scilicet incurabile est: hinc si ulcus hoc sic se habeat, ut parvus fomes maneat, coire poterit falsa cicatrice, sed interim subpositum eradicari impos superinducta nova membrana sopitum, simulac homo ad vitam redit, statim repullulat. An ergo tunc pergendum est, donec homo moriatur? non. Sed praenunciandum est malum insuperabile. Illi nunc, qui dicunt, se hoc absolute curare posse, plerumque sunt infeliciores curando, quam vulgares Medici.

Accidit saepe in sanis juvenilibus plethoricis corporibus ut mercurio incipiente agere oriatur tanta inflammatio, ut suffocationis metus adsit, imò ut fiat suffocatio. Quid tunc medico faciendum? in eo casu ilico debemus dare potus copiosissimos, collutoria oris ex decocto malvae cum sero Lactis recentis, vel floribus violarum, Sambuci, Malvae coctis in aqua ad molle leniens decoctum. extrinsecus circa fauces, aures, maxillas pannis laneis calidis similia adplicari debent, caveri debet aër et potus frigidus. Verum si hic cogitetis de repercutientibus, rem agetis periculosae aleae, nam tum tumores oriuntur tanto majores. Dicetis forte, et his medicamentis augetur tumor: fateor; sed vasa laxata facile ferunt tumorem: 2º. tum temperandus est calor aëris, nam nil plus promovet salivationem, quam calor moderatus. 3º. Adhibemus quoque Opium. An hoc hic, putatis? quando consummati eritis in praxi holocausta offeretis, quod hanc manum Deorum vobis dederim, et summis laudibus extollemini, si modo grani ¼ omni hora dederitis ut tollatur ille sensus irritationis. Et cur hic Opium non adhiberemus? nam certè medici optimi in summa Dysenteria hoc cum summo successu adhibent. Horum nunc ope nimiam salivationem semper in ordinem redegi.

Si minus salivatio fit, inflammatio tollitur, et ulcera in ore citò minuuntur, nec tamen cognita morbi natura, certi estis de fortunato eventu, tunc incitari debet. quod fit 1º. dando potum mercurialem cum opio, qui tamdiu et tanta copia adhibendus est, donec major dolor, tumor, fiat. 2º. debemus statim calorem augere, adeoque furnus ad gradum unum vel alterum incendatur. 3º. caput undequaque fovendum cucuphis et fomentis, de quibus ante dixi: et sic protrahitur salivatio in tempus definitum.

Haec sunt, quae de regimine curae dicere potui.

Sic corporis succi veteres evanescunt. In memoriam revocate, in homine 150 Libras ponderante, se duci illo tempore ad minimum Libras 112. Si nunc ponimus has exire et regenerari, videmus succos veteres sic tandem evanescere.

Pingue

De Lue Venerea.

Pingue omne consumitur, et credo omnem etiam medullam ossium solvi, quia hi homines sentiunt insolitam rigiditatem et immobilitatem circa majores articulos.

Hoc totum fit vi vitae. nam si aeger cadit in animi deliquium, omnis salivatio cessat. Hinc ubi vires vitae deficiunt, Mercurius non curabit; nam quidem fit putredo, sed haec sine febre non expellitur.

Huc etiam facit calor externus, sine quo nulla fit salivatio, sed quidem suffocatur.

Ut et potus liquidi; nam si non multo plus bibunt, quam excernunt, aegri non sanantur, sed suffocantur, quia multum per urinas excernitur.

En H. H. his expellitur id, quod Venereum in se continet venenum. Ergo occurrit hic vis vitae, et huic datur Mercurius, qui adigitur per omnes humores, et solvit omnes humores: Medicus vasa excretioni praeparat, et vim Mercurii moderatur.

Ultimò huc etiam accedit diaeta tenuis, subtilis, quâ homo nutriri quidem potest, sed quae non facit magnum motum in corpore, quae ubi data, vis vitae superstes hoc novum nutrimentum convertit in illud, quod in illo corpore deficiebat.

Jam facta est curatio, et redditum corpus maceratum, purum, elotum, sed debilissimum et exhaustum.

Si mali quidpiam remanet omnia haec passis, tum quamdiu humores sunt tam tenues, et vis vitae percuram debilitata, nihil adparet. Sed simulac hi homines acceperunt solida alimenta, et vis vitae resurgit, renascitur malum, ut prius, quod credo nunquam evitari posse. Ergo quaeritur

An possit Lues venerea curari ita, ut nil amplius remaneat ejus? In medulla ossium saepe quid haeret, quod omni usu mercurii non potest ablui: hoc patet, quia homines metalli fossores habent saepe ossium cava plena Mercurio, et plerique homines Lue venerea occisi, et puro argento vivo salivationem passi exhibuerunt Mercurium intra ossa et cellulas medullosas quae plerumque quiescunt, ubi incitatus motus non adest. Nunc Mercurius incitat quidem circulationem, sed locus tam remotus à corde, et Membranae Arteriarum adeo tenues et flaccidae, ut Mercurius quidem eo deferatur, sed per haec loca non penetret. 2°. Ossium diploë simili pingui infarcta est collectio cellularum per hanc dispersarum: hanc praecipue habet cranium, reliqua ossa non ita. Nunc penetret Lues venerea v. g. ad ossis bregmatis diploën, tunc mercurius eo delatus, plerumque ibi haeret et quiescit, nec aliquid facit, ut docent observationes. Hinc his in casibus plus praestat cura Ligni Guajaci, quam Mercurii.

Verum

De Lue Venerea

Verum in reliquis ossiculis, quae formant aliquod cavum, ut sunt ossicula orbitae, natum hoc malum, ferè non solet supe-rari: nam haec ossicula habent diploën, sed minimam, hinc Mer-curius hic fere non penetrat, et est haec ratio, quare salivatio nun-quam plus deficiat, quam ad haec loca, quae sunt orbitae oculorum sinus mucosi, interiora nasi, faucium, et cartilagines Laryngis, ubi species gummatum, exostium, carierum, imò (si ita dicere liceat) spinarum ventosarum saepe nascuntur, quae mala habeo in-sanabilia, quia Mercurius ibi caret vi vitae urgente. Ergo ubi haec video, soleo pronunciare omnia esse dubia, et saepe irritam fore curationem.

Itaque in omnibus locis, ubi multa vasa magna vi valen-tia adsunt, Mercurius humores potest propellere: verum quoti-escunque ejus vis pervenit ad vasa sive loca, in quibus vis cordis et arteriarum elasticitas desinit, ibi Mercurius non plus agere potest, quam in pixide vel cadavere ubi haeret. Jam quaero, an quis Mercurio demonstraverit cadaver à putredine posse defendi? et credo, nullus hoc unquam praestabit.

Haec autem loca sunt maximè medullae et lamellae os-sium, et membranae cryptosae narium, faucium oris, pulmonum, Oesophagi, ventriculi, Intestinorum tenuium. Hae cryptae sunt ubique extra vim circulationis, et ubi in hanc membranam se deposuit malum hoc, tum haeret extra vim vitae, tumque, nisi tanta sit vis ptyalismi, ut totum abluat, quod est extra vim vitae non poterit sanari; sed si haec membranacea capsula mercurio detergetur et expurgatur, sanatur.

Ergo si malum haeret in cavitatibus glandulo-sis, tam in pudendis quam alibi, videtis quam difficulter curetur.

Si nunc Lues Venerea occupaverit pericondri-um Laryngis, ubi cryptae Morgagnianae sunt, et se de-monstraverit raucedine indelebili, haec ferè nun-quam sanatur: quod idem verum est ad radicem Lin-guae, ad epiglottidem, ad cartilagines Laryngis et imprimis arytenoideas: et videtis, quare nulla ulce-ra his sint pejora? quia scilicet sunt extra vim circulationis. Si nunc contigerit, hoc hac ratione se habere, quid medelae est? Cura externa. Si ergo in uno parvo loco malum haeserit extra syntaxin arteriarum, tum oleo vitrioli, spiritu sulphuris per campanam, Mercurio sublimato, pulvere praecipitato rigonis, Lapide infernali, omnive remedio, quod escharam facit et separat, tamdiu tentanda est, donec funditus exciderit haec caro.

Verum

De Lue Venerea.

Verum si hoc haeserit alicubi in corpore, dum interim malum etiam haeret in interioribus, tum hoc modo externa curantur quidem, sed interna intacta relinquuntur, adeoque haec cura nil facit, quam ut istas cavitates quasi exscindat.

Si ergo membrana haec inficitur, imprimis in naribus, cur fit, ut toties non sanetur hoc malum, ne quidem per ptyalismum, licet ter instituatur? Quoniam in cryptis haeret illud malum, et quoniam haec loca toxici exui non possunt.

Vocatur malum Ozaena Venerea, qua homini semper destillat de naribus ichor foetidus, quod ubi aliquamdiu duravit, sequuntur fragmenta ossea, denique ossa ipsa integra; tunc vero ptyalismus vel decies adplicatus, nec omnes aliae methodi hic aliquid faciunt. Novistis enim quod Deus in ore et naribus formaverit partes tam mirabiliter ex ossibus separatis per solam vasorum texturam unitis inter se. Haec ossicula sunt quasi pendula et suspensa, ut quatuor ossicula spongiosa, et separata, quemadmodum ossicula orbitae, ut secedere possint. Omnia habent periosteum internum et externum, ac diploën, sed tenuissimam. Si ergo in membranis externis haereat hoc venenum, et corrodendo suam membranam denudet, os illud integumentum amplius non habet, hinc nutrimento caret, hinc non putrescit, sed cariosum fit, amittit soliditatem suam, et incipit excerni per nares stantes fragmentis, ut aliquando articulum digiti minoris aequent. Haec omnia veniunt praecipue ex cellulis sphaenoidalibus sub ephippio, unde vidi forma capsulae excreta, imo et ossa spongiosa superiora et inferiora vidi excreta.

Novistis, ossa maxillae superioris cava magna habere; horum ossium anterior infima pars per mediam raclin nectitur, facitque anteriorem partem palati: haec non communicant nisi cum septo narium osseo et cartilagineo, et parte postica cum vomere; lateralis pars horum ossium spectat cava maxillaria: parte postica sunt ossa palati, quasi parallelogrammata à parte anteriori cum his, posteriori cum ossibus sphaenoidalibus connexa: superius et inferius membranae investientes excurrunt retro in palatum pendulum.

Quotiescunque illum horum ossiculorum destituitur vasis suis nutrientibus, nunquam restituitur cicatrix, sed os illud, qua parte aëri exponitur, carie consumitur, quae si pervenit ad suturas, totum illud os cadit; et haec est sola spes et separatio, quae tunc exspectari potest, ut una pars separata possit adhuc relinquere vicinas partes intactas, tunc sanatur illa pars, deformitate tamen remanente.

Vidi

De Lue Venerea

Vidi aliorum molimina volentium haec aliter curare adhibita, sed frustranea, alias haec tam audax non dicerem. Experti erant Optimi Medici, quod Ptyalismus saepe hos morbos curare non posset, hinc cogitarunt de topicis escharoticis adplicandis, sed quia haec saepe convulsiones producunt, si naribus adplicantur, viderunt haec hic nocere.

Hinc itaque primo initio hujus mali fumos Mercuriales dederunt, quibus saepe satis pulchre sanabant, sed etiam saepe lethali curatione. Hinc voluere tandem Mercurium magis fixatum adhibere, et incepere facere suffumigationes ex Cinnabari: homines scilicet ponebantur intra cupam, et Cinnabaris drachmam unam inspergebant non prunae, sed ferro tam calido, ut lignum leniter incenderet, tunc hominis caput stragulis tegebant, et per infundibulum determinabant fumum ad nares vel fauces, si malum ibi haereret. Hoc bis de die faciebant per octavam partem horae, et si aeger ferre non posset, foramen in cupa faciebant. Hoc remedii genere sanavere saepe ulcera pessima, et hoc jam fecere primi Auctores, qui de Lue Venerea scripserunt: hocque idem est, quod nunc in Galliis et Londini tentant bono aliquando cum successu, sed saepe pessimo, quia ope hujus fumi omnia ad dissolutionem disponuntur. Si nunc vis vitae adest, saepe separatur, sed quando haec deficit, et ossa denudata jam sunt, nihil curant, quod facere saepe se falso dicunt, quando scilicet ubi ipsum os separatur; sed si hoc praestare possint, ut ossiculum haereat per vasa nexum, et tum malum excedat, corporis forte postea sanum erit. Ergo prudenter administrata haec suffumigatio aliquando prodest, et eo usque valet, ut nihil aliud prodesse potest. Sed nunquam aliquid boni faciet, si os jam careat periosteo, aut malum haereat in Diploë.

Condylomata, Calli, Scirrhi Venerei, nunquam Ptyalismo curantur; sed requirunt primo Balnea vaporis emollientissima, dein erosiones maximas per Mercurium vel Cinnabarim escharis toties factis donec fundus sit purus: si autem vel mollibus vel acribus solis hoc tentas efficere, nil proficis.

Si Fistulae sinuosae sint, nunquam curantur Ptyalismo vel methodo decoctorum, sed requiritur incisio, apertura ad fundum, et tunc à fundo sanatio.

Mala

De Lue Venerea.

Mala quae manent in ossibus majoribus, ut Exos-toses &ct, curari non possunt, si nec Sudoribus, nec Ptyalis-mo, nec suffumigatione cedant, sed debent partes aperiri, et tunc vel Scalpris, vel terebris, vel serra, vel erodentibus separari illa pars, quae malum continebat: Haec au-tem in minoribus ossibus fieri non possunt.
Altera methodus ad hunc morbum est haec: Solvunt Mercu-rio interne dato sanguinem eo usque, ut primus gradus adsit Sa-livationis, id est donec halitus foeteat et dolor &ct. oriatur, tunc purgans dant, et hoc continuant, donec ille dolor &ct cesset. Hoc facto iterum Mercurium dant, et iterum purgantia, et hac ratione exstirpant hoc malum. Hic materia soluta exiret per os, sed hanc nunc siducunt per alvum: atque haec est Me-thodus Monspeliensium, quam etiam laudat Percellonius et Pitcarnius.

Quid de ea sentiendum? Si non valde radicatum est malum, potest ferri; sed si jam haereat ad ossa, credo nunquam hac me-thodo curari posse.

Hoc A. A. est totum, quod super hac re dicere potui.

Tria verba monere debeo de Panacea Mercuriali.
Non habuit Ludovicus XIV Galliae Rex sibi parem principem ad promovendas artes imprimis Medicinam. Homo erat, qui jactabat Panaceam Mercurialem ad exstirpandos omnes morbos venereos, et dedit documenta. Rex redemit ejus arcanum, et post-ea communicavit. Dedit hoc medicamentum suis medicis, et in Octingentis hominibus cura optima fuit, quod Clarissimus Hombergius mihi communicavit.
Sumitur scilicet Mercurius Dulcis toties sublimatus, ut non sit acer, sed etiam ut non sit iners: ille conteritur in pulve-rem tenuissimum, et datur ad grana IV. V. VI. quater, quinquies, sexies de die, et tum homo salivatione et bona diaeta curatur.
Arcanum autem hoc est: primo accipe Cinnabarim nativam, contere in pollinem, lava cum aqua et aceto, ut pulvis sit pu-rissimus, admisce duplum Limaturae ferri, commisce et com-mitte summo igni arenae, et in alembicum adscendet Mer-curius purissimus, cujus Libra una constat quadraginta flo-renis: hunc si contuleris cum vulgari Amstelodamensi Mer-curio non est melior. 2° ille Mercurius dissolvitur in spiri-tus Nitri sesquialtera parte; dissolutio destillatur ex retorta, quae diffracta habetur Mercurius praecipitatus albus; hic conteritur cum sale marino, et Colcothare, ille pulvis subli-matur lente ex retorta, tunc habetur quasi Crystallinus qui-dam Mercurius, abscinditur vas, Mercurius expellitur, et habetur

Mercurius

De Lue Venerea

Mercurius sublimatus Venetus: Nunc hic illud commodi est, ut prius soluto Mercurio facilius misceant salem marinum. 3º hic Mercurius adhuc semel sublimatur, sed hoc opus non est. 4º sume tunc Mercurium, illi permisce Mercurium ex Cinnabari resuscitatum, tunc pulvis natus sublimetur farinam haerentem excute, habebis tantum Mercurium Dulcem. Hunc nunc volunt adhuc novies sublimari; sed non opus est, nam idem erit Mercurius.

Quid ad haec dicemus A. A.? Arcana revelata vilescunt, et simplicitas praevalet; nam quid opus est, cum Mercurium Dulcem possim tam vili pretio comparare, et eosdem per eum effectus praebere, ut solvam tantum pro hoc remedio, quod ad summum tantum idem efficit. Verum A. A. magis vulgo illa aestimantur, quae pluris emuntur; et sic divites dimittuntur inanes, uti scriptum est in sacro Codice.

Haec omnia A. A. nunc dixi, non ut gravae libidini, non ut avaritiae vobis sint, sed ut boni Medici misero generi humano prodesse possitis.

Finis.

Index Capitum.

Index Capitum.

190 (vult.)

188 — — Viri eruditiss. clariss. HERMANNI BOERHAAVE lectio publica **de lue venerea** habita in acad. Lugd. Bat. annis .... 1730 et 1731. Summa cura et labore fideliter ex variis manuscriptis collecta. Scripsit Lugduni Batavorum Ioannes van Beekhoven de Wind. Medioburgo Zeelandus. 1734. 4⁰. veau.

Beau et précieux ms. de 190 pp. et index, composé d'après les cours universitaires de BOERHAAVE sur les maladies véneriennes.

50

5 d48.

B F. Burgersdijk & Niermans auction april 1914 fl. 52